
Es de Fr. Pedro Gomez del Carmen calzado de Sevilla



De la libreria del Carmen Calzº de Sevilla



AD PHILOSOPHIÆ BACCONICÆ Tyrones.



Oſt tertium Curſûs Philoſophici tomum in ſex ultimos libros Phyſicorum jam editum, recto ordine proditurus erat quartus in quatuor libros de Cælo, & Mundo, deinde quintus in duos de Generatione, & Corruptione, & ſextus in tres de Anima. Aſt quia Metaphyſica ſingularem habet connexionem cum præciſionibus, univerſalibus, diſtinctionibus, aliisque, in ipſis etiam Phyſicorum libris diſſertis, idcirco à tomo tertio ad ultimum in Metaphyſicam extremam Philoſophiæ partem gradum facio. In reliquis verò, niſi ſtudia maiora impediant, utilitati veſtræ conſulens, ultimum laboris exhauriam.

Propria Nomina, nationes, & anni obitus Doctorum Carmelitarum Theologorum, & Philosophorum, quorum testimoniis nostra Philosophia illustratur.

A

Andreas à Cruce Lao —— Catanensis —— obiit anno 1675

B

Blasius à Conceptione —— Carnotensis —— obiit anno 1694

C

Chrysostomus Silvestranus Bacconii explanator — Varonensis —— obiit anno 1608

D. Cyrillus Alexandrinus —— Græcus —— obiit anno 444

D

Daniel à D. Josepho Sammaco —— Viensis —— obiit anno 1667

Didacus de Castilla Bacconii explanator —— Hispalensis — vivit adhuc.

Didacus à JESU —— Granatensis — obiit anno 1621

Dionysius Blasco Bacconii explanator —— Utrillensis —— obiit anno 1683

E

Eliseus Garcia Bacconii explanator —— Aragonensis — obiit anno 1719

F

Franciscus Bonæ Spei —— Belgicus —— obiit anno 1667

Illustrissimus Franciscus Suares de Vilhegas —— Lusitanus —— obiit anno 1664

G

Illustrissim. Guido de Perpiniano Magister Baccon. — Catalanus —— obiit anno 1330

H

Hieronymus Aymo Bacconii explanator—————Taurinenfis obiit anno 1620

I

Ignatius Ponce Bacca Bacconii explanator ————Matritenfis—obiit anno 1707

Joannes Baptifta de Lezana——————————Matritenfis—obiit anno 1659

Joannes Chryfoftomus Marafca textuum Bacconii explanator, reftitutor, ac conciliator ————— Cremonenfis-obiit anno 1634

S. Joannes Damafcenus ——————————Græcus—— obiit anno 740

Joannes Walfingan quondam Bacconii Magifter—Anglicus——obiit anno 1330

Jofephus Blanc ———————————————Valentinus—obiit anno 1613

Jofephus Zagaglia Bacconii explanator ———— Ferrarienfis—obiit anno 1711

Julianus de Caftelvi Ladron——————————Valentinus—obiit anno 1637

L

Lactantius Domaninius——————————Mantuanus— obiit anno 1596

M

Illuftriffimus Matthæus de Orlando—————————Carinenfis— obiit anno 1695

Michael Ayguanus—————————————— Bononenfis— obiit anno 1575

P

Paulus à Conceptione ————————————— Navarrus —— obiit anno 1734

Paulus de Perufio————————————— Gallus ——-obiit anno 1344

Petrus à Cornejo ————————————— Salmantinus-obiit anno 1618

R

Raymundus Lumbier ————————————Aragonenfis—obiit anno 1684

T

Thomas Waldenfis ————————————Anglicus—obiit anno 1430

ORDI-



ORDINIS FACULTAS.

CENSURA REVERENDI ADMODUM P. M. Fr. Petri Nolasco in Sacra Theologia Lectoris jubilati, Conimbricensis Carmelitani Collegii Rectoris, & studiorum Regentis.

REVERENDISSIME PATER.

ULtimum Philosophiæ Cursus tomum juxta inconcussam, singularemque doctrinam nostri Venerabilis Joannis Bacconii Doctoris Resoluti, Authore R. P. nec non Sapientissimo Magistro Fr. Emmanuele Ignatio Coutinho Conimbricensi Doctore Theologo eruditissimo, Reverendissimæ Paternitatis tuæ præcepto audiens, sedulo evolvi, magna animi voluptate perlegi. Id mihi in præsentiarum accidit, quod sæpissime evenisse expertus sum; numquam etenim aliis præclarissimi Authoris Tractatibus jam prælo datis vacavi, quin magna animi voluptate perfunderer: ecquis enim in tam solido probationum pondere, in tam subtili arguendi methodo, & in extricandis difficultatibus delicium non capiat? Siquis id ultro non f teatur, eum à sensitivorum albo deleas, & insensibilem jure merito dicas, necesse est. Egregiam navat operam Sapientissimus M. ut Universus Orbis Litterarius nostri Resoluti Præceptoris doctrinam, cui indivulse adhærere nihil antiquius habet, veneretur: id profecto cumulatissime est

eſt aſſequutus, dum opus concinne ab eo elaboratum, qua late patet Orbis, diffunditur: non intra anguſtos Luſitaniæ limites, quæ in lucem prodierunt ejus Lucubrationes, deliteſcunt; illas Europa, Aſia, & America colit, illas certatim expetunt, & requirunt quotquot ſunt in Hiſpania, Italia, in Braſilia, & India juſti philoſophicarum rerum æſtimatores. Grates perquam maximas eruditiſſimo Magiſtro agere debemus, qui ſub Reſoluti Præceptoris vexillo militare gloriamur, quod indefeſſo plane ſtudio, & genuinam Anteſignani nobis mentem expoſuerit, & illius gloriam longe, lateque diſperſerit. Metaphyſicum Tractatum quaſi cæterorum coronam ultimo typis deſtinat, nec immeritò; non quod vulgari paræmia tritum ſit, quod finis coronat opus, ſed quod Metaphyſicam quaſi ſcientiarum reginam in Hieroglyphicis rite coronaverit Antiquitas. Metaphyſicam Philoſophiæ reginam ſuo hoc Tractatu coronat Sapientiſſimus Author. Oh quantum ponderis in auro rationum, quibus ſuas firmat concluſiones, quantum fulgoris in explicandis circumfuſa caligine obductis difficultatibus, quanta pretioſitas in hoc Metaphyſicæ, immo & integri Philoſophici Curſus diademate! Hæc hæc eſt corona, quam integræ Philoſophiæ, & ſibi ipſi adaptavit Sapientiſſimus Author. Ultra metas eruditionis progreditur præclariſſimus M. Fr. Emmanuel Ignatius Coutinho, dum in lucem ſuum hunc Metaphyſicum Tractatum edit: brevis quidem eſt, ſi recentes hacce de re tractantes reſpicias: aſt nuperos in alienam ſegetem falcem mittere, dum plurima ad Sacram Theologiam ſpectantia diſcutiunt, nemo eſt, qui non videat; nec quisquam jure poterit accuſare brevitatem in Opere omnibus numeris abſoluto, & cui nihil ad ultimam ſui perfectionem deſit: dignum ergo illud cenſeo & prælo, & cedro, maxime cum nihil rectæ Fidei regulis adverſum, nihil bonis moribus diſſonum contineat. Id unum habere

bere in votis me fateor, & Sapientissimum Mag. etiam, atque etiam rogarem, ut integer hic Cursus Philosophicus Theologico præluderet, & qui hactenus Resolutum Præceptorem nocturna versavit manu, versavit diurna, ut Antesignani mentem & fidelissime, & mira nobis perspicuitate exponeret in Philosophia, eandem in Theologia suscipiat provinciam; difficilis quidem ille est, sed quæ magnanimum Authorem Bacconii ergo ad ardua quæque capessenda paratissimum non deterreat. Philosophico igitur Cursui consummato succedat integer Theologicus in ampliorem Bacconicæ doctrinæ gloriam, in Religionis immortale decus, in Lusitaniæ ornamentum maximum, in eximium Conimbricensis Academiæ splendorem. Hoc meum judicium. Conimbricæ in regio Carmelitano Collegio nonis Martii anni M. DCC. LI.

Fr. Petrus Nolasco.

CEN-

CENSURA REVERENDI ADMODUM P. M. Fr. Bernardi Antonii do Valle Sacræ Theologiæ Professoris, & Doctoris Conimbricensis, Sanctique Officii Qualificatoris.

REVERENDISSIME PATER.

Jussu Reverendissimæ Paternitatis vestræ libentissimè perlegi accuratissimas R. admodum P. M. ac Doctoris Fr. Emmanuelis Ignatii Coutinho in universam Metaphysicam Lucubrationes. Meam utique, & communem omnium approbationem extorqueret statim vel ipsum Authoris nomen sub voluminis facie designatum. Ingenuè tamen fateor, non minori me gaudio, quàm diligentia in hujus Operis lectionem incubuisse, quippe qui jam diu antea prioribus Tanti Magistri documentis latè imbutus, quatuor scilicet editis voluminibus comprehensam Philosophiæ medulam introspexeram; nunc autem subtilioris scientiæ arcana, rerum omnium essentias aperientem, earumque proprietates uno quasi intuitu enucleantem vidi, ac dimiratus sum Hæc illa Metaphysicæ scientia est, quæ ab Aristotele sæpe nuncupatur Prima Philosophia, quasi reliquarum Domina, ac Princeps, omnium principia stabiliat, atque confirmet. Quam aptissimè igitur à Principe etiam Mag. pertractari debuerat ad extremum, qui tot jam Philosophiæ sphæræ sapientiæ suæ lumina circumtulerat: sive etenim ejus gravitatem in docendo, in arguendo vim, in deliberando maturitatem, vel in adversariis redarguendis evidentiam contemplarer, ubique magnus, ubique idem mihi apparuit, quanquam pro materiæ præsentis dignitate, de se altissimæ, ultra naturæ ipsius metas transcendens, alius à se, & à se longè altiùs evolasse videatur. Aquilinum verè illius ingenium tot geminatis comprobare argumentis necesse omnino

non

non fuerat, nisi ea, plurimaque doctrinæ suæ monumenta, è cathedris olim dispersa auditoribus, colligere modò, atque in perpetuam, communemque lucem dare tanti referret ad Literariæ Reipublicæ decus, & incrementum. Non meum hoc tantum judicium esto, sed omnium Sapientum, quod totius etiam Academiæ Conimbricensis suffragio video confirmari, cùm plane constet, illam pro Typographiæ sumptibus hujusce operis Authori plenâ adeo manu subsidium nuperrimè contulisse. Decebat enim verò, non quibuscumque, sed aureis certè caracteribus tam pretiosum Opus excussum iri. Hinc illud omnium quidem oculis, linguis, ac mentibus, non sine ingenti fænore, evolvendum in posterum augurari fas sit, cui tot jam calculis communem hominum sententiam annuere, ac suffragari liquet.

Quapropter studiosæ Juventuti, imò & eruditis omnibus, injurium fuerit, si quidquam ultro temporis latére patiamur hunc Philosophiæ thesaurum. Publicis typis mandari quantocius oportet; quod non ad Authoris sui tantùm, aliàs jam celeberrimi, nomen, ac gloriam, verum etiam ad Literati Orbis emolumentum spectare credo; quod denique ad nostri Ordinis ornamenta indies augenda luculentissimè suffecturum confido. Ita censeo. Conimbricæ, in regali Carmeli Collegio die 13. Martii ann. 1751.

Fr. Bernardus Antonius do Valle.

FACULTAS ORDINARII.

CENSURA REVERENDI ADMODUM P. M. Vincentii Mexia Clerici Regularis, Sacræ Theologiæ Professoris.

EXCELLENTISSIME DOMINE

HAs Disputationes in libros Metaphysicorum à Sapientissimo Patre Fr. Emmanuele Ignatio Coutinho Doctore Theologo Conimbricensi pulcherrimo ordine digestas, nec non solidissimis rationibus subtiliter lucubratas, ut mihi demandatum munus peragerem, sedula discussione pervolvi; nihilque in hoc Opere, quod morum regulis, Fideive Orthodoxæ veritati vel in minimo adversetur, offendi: quinimo uberrimam eruditionum, ac doctrinarum segetem singulis, qui hisce sunt studiis addicti, haud mediocriter profuturam. Opus sanè tanto Ingenio, tantoque Authore dignum, cujus laus est totum hîc fecisse, quod ejus famam æternis coronet splendoribus; nihil, quod hujusmodi Lucubrationes typis evulgari prohibeat. Sic censeo. Datum Ulyssippone in Ædibus Deiparæ à Divina Providentia sacris die 1. mensis Julii anno Domini 1751.

D. Vincentius Mexia Cler. Reg.

VIsta a informaçaõ pódese imprimir o livro de que trata a petiçaõ, e depois torne conferido. Lisboa 3. de Julho de 1751.

D. J. A. L.

FA-

FACULTAS
REGII SENATUS.

CENSURA REVERENDI ADMODUM P. M. Fr. Francisci à S. Theresia Xaverii Ex-Provincialis Ordinis S. Francisci, in Sacra Theologia Lectoris Jubilati, Consultoris S. Officii, ac Bullæ Cruciatæ, & Patriarchatûs Examinatoris.

DOMINE.

NOn Philosophiæ censoris, sed Astronomi pergratum munus aggredior, cùm regio Majestatis vestræ placito obtemperans, metam laboris, sivè ultimum Philosophiæ Cursûs Tomum, à Sapientissimo Magistro, ac Doctore, Admod. R. P. Fr. Emmanuele Ignatio Coutinho, Observantissimi Carmeli alumno, elaboratum, in examen revocare cogor: quippè nedùm Philosophi discursum, sed Solis cursum in ultima consummatione perfectum, circunspicio. Universa lustrans pergit spiritus, cùm Sol lucidos spargens radios, nubila dissolvens, gemmas, aurumquè in visceribus terræ procreans, circumfertur. Quid ergo in isto Philosophiæ completo cursu admirationem rapit? Author ipse splendore subtilitatis adimpletus, spiritu Resolutissimi sui Præceptoris insignitus, universam Philosophiæ sphæram peragravit: rerum omnium naturas, vel in logicali intentione consideratas, aut in physica ponderatione inspectas, vel tandem medullitùs in metaphysico conceptu expressas, invisit: sublimis doctrinæ radios diffundens, clariori methodo, & si scholastico more, scribens, intima, difficilimaquè penetrat, reserat, clarescit: opposita recludit objectionum nubila, demumquè veram, puram, gemmiferam, auream sanè mentem Resolutissimi Doctoris adaperiens, in omnium nedùm suæ Scholæ, sed exterarum

sectatorum cordibus progenerat, ut singuli æmulentur, vel sequantur, vel, ut revereantur eam, agnoscant. Solus, quia Sol, talis, ac tantus Doctor, integrum, & omnibus numeris absolutum cursum quiverat nitidissimè efformare; ideoque in ultima illius consummatione, sicut lux septem dierum, in his elucubrationibus metaphysicis plenissimè resplendescit. Entis proprietates, Unum, Verum, Bonum, mirabiliter describit: quò verò altiùs in illis discutiendis evehitur, proprias sui ipsius excellentiores depromit. Unus in arguendo, verus in scribendo, bonus in operando, totus, integerque supra Metaphysicæ verticem veneratur. Ast quid mirum! Si in Oriente, primævè ætate, subtilissimi ingenii, ac promptissimi, singularisquè genii in omnium scientiarum genera propensionem patefecit. Testis ego sum, & glorior; mirabar enim, quod ætatem juvenilem superans, morum honestate gravis, prudentiâ præditus, ingenio perspicuus, quasi Tullius in dicendi arte, & quasi Aristoteles in Sophiæ disciplina antelatus existeret. Si verò cursum consummavit, fidem in exponendo suo Resolutissimo Magistro servavit: juremerito reponenda illi est corona justitiæ, quâ scilicet per universum orbem nomen ejus celebrari, ejusque opera publico, inoffensoquè pede currere mereatur; quod equidem in Lusitani Imperii ornamentum, utpotè istius clarissimi Solis Firmamentum, redundabit. Sic censeo, si Vestræ Majestati dignum videatur. Ulyssipone in Conventu Minorum Observantium S. Francisci, die 17. Decembris ann. Domini 1751.

Fr. Franciscus à S. Teresia Xaverius.

QUe se possa imprimir vistas as licenças do Santo Officio, e Ordinario, e depois de impresso tornará á Mesa para se conferir, e taxar, e dar licença para que corra, e sem isso naõ correrá. Lisboa 24. de Janeiro de 1752.

Ataide. Almeida. Carvalho. Mouraõ.

Visto

VIsto estarem conformes com seus Originaes estes terceiro, e ultimo tomo, podem correr. Lisboa 23. de Março de 1753.

Fr. R. Alencastre. Abreu. Paes. Trigozo. Sylveiro. Castro.

PO'de correr. Lisboa 24. de Março de 1753.

D. J. A. L.

QUe possa correr. Lisboa 24. de Março de 1753.

Marquez P. Carvalho. Correa.

	ERRATA	CORRIGENDA
NUm. 13. l. 9.	*scientiæ*	*scientia*
N. 85. l. 22.	Eff	Est
N. 87. l. 10.	cætero qui	cæteroqui
N. 95. l. 2.	sequases	sequaces
N. 117 l. 2.	incumbui	incubui
N. 118. l. 6.	vellint	velint
N. 133. l. 10.	spaciatim	speciatim
N. 138. l. 6.	inæqualitas	æqualitas
N. 146. l. 11.	*modi*	*modis*
N. 148. l 18.	*modi*	*modis*
N. 151. l. 14.	*eadem*	*eandem*
N. 210. & 211.	clase	classe
N. 262. l. 18.	personæ	suppositi
N. 268 l. 21.	propriori	pro priori
N. 316. l. 20.	finualiter	situaliter
N. 318. l. 24.	ingenito	in genito
N. 337. l. 8.	divisibiles	divisibilis
N. 343. l. 3.	de	ab
N. 366. l. 1.	rediculum	ridiculum
N. 370. l. 33.	judicant	judicent
N. 384. l 14.	quantitati	qualitati
N. 393. l. 8.	calor	calor,
N. 409. l. 22.	intendantur	intenduntur
N. 444 l. 19.	satisfit	satisfacit
N. 460. l. 7.	duas	duæ
N. 490. l. 21.	depuncto	de puncto

IN-



INDEX

RESOLUTIONUM PROŒMII, & Diſputationum, Sectionum, & Quæſtionum Tractatûs.

RE-

QUÆS-

DIS-

DISPUTATIO III.

De præcipuis Entis divisionibus, & de Ente Divino in particulari.

SECTIO I.

De præcipuis Entis divisionibus.

SECTIO II.

De Ente Divino.

DISPUTATIO IV.

De divisione Entis in decem Prædicamenta.

SECTIO I.

De Prædicamento Substantiæ.

QUÆS-

QUÆS-



INTEGER PHILOSOPHIÆ CURSUS

Juxta inconcuſſam, ſingularemque doctrinam

JOANNIS BACCONII

Doctoris Reſoluti.

TOMUS ULTIMUS

IN METAPHYSICAM.

PROŒMIUM



METAPHYSICÆ prologomena, ſive proæmialia, non pro dignitate diſcutimus, ſed pro Tyronum notitiâ breviter explanamus. Et cùm fieri nequaquam poſſit, ut quis Metaphyſicus perfectus evadat, niſi hæc omnia ſciat: primò, quid ſit Metaphyſica, & quis ejus Author: ſecundò, utrùm ſit rigoroſè ſcientia: ter-

tiò, utrùm ſit ſimpliciter ſpeculativa: quartò, an ſit unicus habitus ſapientiæ: quintò, quale ſit hujus ſcientiæ objectum materiale per ſe: ſextò, quale ſit objectum attributionis ejuſdem: ſeptimò, quale ſit objectum formale: octavò, qualia ſint principia Metaphyſicæ: nonò, an Metaphyſica ſit virtus mentis: decimò, an ſit utilis: idcirco de his omnibus per ſequentes reſolutiones diſſeremus. Sit ergo

1 Reſolutio prima: Metaphyſica, juxta Bacconii doctrinam, ſic poteſt definiri: *Scientia ſpeculativa agens de Ente, in quantum Ens.* Probo bonitatem definitionis ex eo, quòd conſtet genere, & differentiâ. Nam per primas particulas, *ſcientia ſpeculativa*, convenit Metaphyſica cum aliis ſcientiis ſpeculativis, v. g. cum Logica, & Phyſica: per reliquas, *agens de Ente in quantùm Ens*, deſcriminatur ab illis, quoniam nulla ſcientia conſiderat Ens, in quantum Ens, præter Metaphyſicam. Baccon. Dixi, quòd præfata definitio ſit *juxta Bacconii doctrinam*, quia Doctor in 1. Prolog. quæſt. 4. art. 1. in articul. 5. §. 2. verſ. *Reſpondeo*, docet, Metaphyſicam eſſe ſcientiam ſpeculativam, & ibidem q. 3. articul. 3. verſ. *Ad argumentum*, aſſerit, quòd conſideratio Metaphyſicæ eſt de Ente, in quantum Ens. Eſt igitur Metaphyſica, juxta Bacconium, *Scientia ſpeculativa agens de Ente, in quantum Ens.*

Ariſtotel. 2 Ad inventionem hujus ſcientiæ quod attinet, Author præcipuus cenſendus eſt Ariſtoteles; Hippaſ. quanvis enim alii antiquiores Philoſophi de re etiam Heraclit. Metaphyſica diſputaſſe videantur, eò quòd idem Anaxim. Ariſtoteles illorum opiniones in libris ſuis recen- Anaxim. ſet, & examinat, videlicet Hippaſi, Heracliti, Thales. Anaximandri, ejuſque diſcipuli Anaximendis, Tha- Mileſ. letis, Mileſii, Anaxagoræ, Platonis, & aliorum, Anaxag. Plato. nihilo-

nihilominus omnes hi Metaphysicam cum Physica miscuerunt, & propterea passim ab eodem Aristotele reprehenduntur, ut benè observavit Laurentius Beierlinc verb. *Metaphysica*; ille verò primus fuit Philosophorum, qui hanc scientiam separatim, & exprofesso tractavit per libros quatuordecim. *Putant* (verba sunt Zimaræ) *de his libris esse querelam illam, & quasi expostulationem Alexandri ad Aristotelem, quòd libros de Philosophia privatim sibi in schola prælectos evulgasset: Aristotelem ita Regi satisfecisse, libros illos editos fore tanquam non editos; neminem intellecturum, nisi qui ab eodem ipso Aristotele audivisset.* Est ergo Author Metaphysicæ præcipuus Aristoteles. Beierlinc. Zimara.

3 Resolutio secunda: Metaphysica est scientia in toto rigore. Probo resolutionem. Metaphysica habet propria principia certa, & evidentia, per quæ demonstrat passiones, sive proprietates sui objecti, nempe Entis; demonstrat enim Ens esse unum, verum, bonum. Insuper multa alia demonstrat de substantiis, etiam separatis, de Deo, & de Angelis: ergo est scientia in toto rigore, & ut talis proponitur à Bacconio in 1. Prolog. q. 4. art. 1. in articulum 5. §. 2. vers. *Respondeo*, ibi: *Ut probat Philosophus 6. Metaph. textu comm. 3. & 4. Metaph. textu comm. 1. Metaphysica est scientia communis, & generalis, quia (ut dicit) est de ente.* Baccon.

4 Objicies. Metaphysica non est formaliter scientia: ergo non est scientia in toto rigore. Probas antecedens. Metaphysica est sapientia; sed sapientia non est formaliter scientia: ergo Metaphysica non est formaliter scientia. Maior patet, tum ex Aristotele l. 1. Metaph. cap. 1. & 2. tum ex Doctore, ubi proximè citato §. 1. vers. *Tunc arguo*, tum Aristotel. Baccon.

ex eo, quòd Metaphysica sit de objecto altissimo, præcisissimo, & simplicissimo. Probas minorem. Sapientia solùm est virtualiter scientia & intelligentia, juxta Bacconium ibidem vers. *Item quia*, ibi: *Intellectus enim, qui est habitus principiorum, & scientia, quæ est conclusionum, sunt duæ species formaliter, & specificè distinctæ per se ipsas: istis tamen habitibus non repugnat, quin dimittant suas differentias specificas formales, & contineantur virtualiter solùm, & non formaliter in tertio habitu specificè distincto ab his.* Sed talis habitus, de quo loquitur Bacconius, est sapientia, ut constabit legenti præfatum locum: ergo sapientia non est formaliter scientia, ac per consequens Metaphysica non est scientia in toto rigore.

5 Respondeo ad objectionem, concesso antecedente, negando consequentiam. Quia, ut Metaphysica sit scientia rigorosè, satis est, quòd ei conveniat definitio scientiæ strictè acceptæ, nempe, *Habitus per demonstrationem acquisitus*, & non est opus, quòd sit formaliter talis habitus, idest secundùm differentiam suam specificam formalem; sicut non est necesse, ad hoc, ut ipsa sit rigorosè intelligentia, quòd sit formaliter habitus principiorum. Unde sufficit, quòd sit unus habitus mixtus ex scientia, & intelligentia, per continentiam virtualem gradualem utriusque. Metaphysica enim vera est sapientia, & sapientia, juxta Bacconium, consistit in uno habitu inclinante simul ad principia, & ad conclusiones, qualis est habitus mixtus ex scientia, & intelligentia, distinctus quidem specificè ab illis duobus seorsim sumptis, ut docet idem Bacconius ubi supra allegatus. De hoc iterum infra redibit sermo. Baccon.

6 Resolutio tertia: Metaphysica est simplici-

ter

ter ſpeculativa. Probo reſolutionem. Metaphyſica habet objectum merè ſpeculabile ab ipſa, nempe Ens, & licèt conſideret etiam de practicis, tractat tantùm de iſtis in generali, in quantum participant rationem Entis, de quo eſt tota ſua conſideratio, & ſpeculatio: ergo eſt ſimpliciter ſpeculativa. Unde Bacconius in 1. Prologi q. 3. art. 3. verſ. *Item ſcientiæ*, reſolutionem ex Philoſopho ſic probat, ibi: *Probatur* 4. *Metaph. textu comm. primi-loquens de Metaphyſica ait Philoſophus: Eſt quædam ſcientia, quæ ſpeculatur ens, & quæ huic inſunt ſecundùm ſe.* Baccon.

7 Objicies. Theologia Sacra non eſt ſimpliciter ſpeculativa: ergo neque Theologia Philoſophorum, ideſt Metaphyſica. Probas antecedens. Theologia Sacra, licèt ſit etiam ſpeculativa, eſt tamen principaliter practica, juxta Bacconium in 1. Prolog. q. 4. art. 3. in quintum, qui incipit ſic: *Tertius articulus: ubi mihi videtur, quòd* (Theologia Sacra) *magis principaliter ſit practica, quàm ſpeculativa*: ergo non eſt ſimpliciter ſpeculativa. Probas etiam primam conſequentiam: Ideo Theologia Sacra non eſt ſimpliciter ſpeculativa, quia tractat etiam de practicis; ſed Metaphyſica etiam de practicis conſiderat, & agit: ergo. Baccon.

8 Reſpondeo ad objectionem, conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Ad probationem conſequentiæ diſtinguo maiorem: ideo Theologia Sacra non eſt ſimpliciter ſpeculativa, quia tractat etiam de practicis explicitè, & in particulari, inſpecto tam fine interiori, quàm exteriori ipſius Theologiæ, concedo maiorem: præciſè, quia tractat de practicis, nego maiorem. Deinde diſtinguo minorem: Metaphyſica etiam de practicis conſiderat, & agit, in generali, & quatenus partici-

pant

pant rationem Entis ab ipsâ speculabilis, concedo minorem: in particulari, & explicitè secundùm rationes sibi proprias, nego minorem, & consequentiam.

9 Est igitur manifesta disparitas inter Theologiam Sacram, & Metaphysicam; prima enim tractat de practicis in particulari, & secundùm rationes sibi proprias; & quamvis agat etiam de speculativis, principaliùs ordinatur ad operationem, quàm ad speculationem, & hoc tam respectu finis extrinseci, quàm intrinseci, & non solùm in via, sed

Baccon. etiam in patria: *Quia certum est, quòd ad scientiam istam attendens, plus addiscens intendit servire Deo secundùm præcepta decalogi in via, quàm scire, & non facere: & similiter in patria plus intendit scire servire, (ut decet) quàm scire, & non facere.* Doctor ubi sup. proximè citatus, sed vers. *Probatur.* Ast secunda, nempe Metaphysica, solùm agit de practicis in generali, quatenus rationem Entis participant, cujus consideratio, & speculatio est totus finis ejusdem, cùm sit gratia sui, non agens de illis propter operari, sed propter scire, & ideo est simpliciter speculativa.

10 Resolutio quarta: Metaphysica est formaliter unus habitus sapientiæ secundùm speciem athomam. Probo resolutionem. Unicum est specificativum Metaphysicæ, nempe objectum formale *sub quo*, seu ratio formalis *subqua* Ens ab ipsa attingitur, quæ consistit in scibilitate Entis in ratione Entis, ut dicemus infra; sed ubi est unicum specificativum, ibi est formaliter unicus tantùm habitus: ergo Metaphysica est formaliter unus habitus sapi-

Baccon. entiæ secundùm speciem athomam. Unde Bacconius in 1. Prolog. q. 4. art. 1. in 5. §. 1. vers. *Tunc arguo*, ibi: *Quæ faciunt unum habitum tali unitate,*

te, qualis est Theologia Philosophorum (idest Metaphysica de qua loquitur Philosophus, & Commentator) faciunt unum habitum secundùm speciem: hoc patet 4. Metaph. Aristotel.

11 Objicies. Metaphysica non solùm est habitus scientiæ, sed etiam est habitus intelligentiæ: ergo non est formaliter unus habitus sapientiæ. Respondeo ad objectionem, concesso antecedente, negando consequentiam. Quia Metaphysica, cùm sit omnium scientiarum naturalium certissima, non modò concipit veritates circa conclusiones demonstratas ex principiis, sicut aliæ scientiæ, sed etiam attingit ipsa principia, concipiendo perfectissimè veritates circa eadem, & connexionem prædicati cum subjecto, exquo est etiam intelligentia. Unde componitur ex habitu scientiæ, & intelligentiæ, tanquam ex partibus, ex quibus resultat unus habitus formaliter sapientiæ, quæ quidem compositio declarari potest exemplo mixti compositi ex duobus elementis: item (ut inquit Doctor ubi infra statim citandus) exemplo de coloribus in medio: *Et cum* Baccon. *hoc, quòd sapientia sic includat illos duos habitus, nihilominus Philosophus vult, quòd sapientia sit habitus specie distinctus ab utroque, & non quasi aggregans illos, sed per se una species. Posuerat enim 3. cap. quinque habitus distinctos specie, scilicet Artem, Prudentiam, Sapientiam, Intellectum, & Scientiam.* in 1. Prolog. q. 4. art. 1. in artic. 5. §. 1. vers. *Quod sic probo.* Vide vers. *Item alia*, ubi ponit exemplum sup. relatum.

12 Et ibidem ex Commentatore Intelligentiam, Scientiam, & Sapientiam mirificè sic exponit: *Contingit enim aliquem sine scientia intellectualem factum, ea, quæ circa principia habere veritatem, non quidem esse, & scientem ex principiis*

piis demonstrata &c. Ecce hucusque loquitur (Commentator) *de intellectu, qui est habitus principiorum, qui solum intuetur principia, & nihil demonstrativè deducit ex principiis* :::::: *Contingit* (etiam) *aliquid demostrare de principiis, & ::: non possidere veritatem circa ipsa principia, idest nescire demonstrare ea. Unde sequitur: & scientem* (tantùm) *non esse intellectualem.* (id est non habere habitum intelligentiæ. Et, paucis interjectjs, concludit: *Cum autem ambas concipit veritates, & eam, quæ circa principia, & eam, quæ circa ea, quæ ex principiis, & tunc est sapiens.* Nihil clarius.

13 Verùm ad plenam præfatæ doctrinæ intelligentiam duo adhuc notare oportet. Primum: Sapientiam magis principaliter habere rationem habitûs principiorum, quàm habitum scientiæ, ut contra Godofredum docet idem Bacconius art. 2. in art. 5. ejusdem q. 4. Prologi, ibi in principio: *Quando habitus componitur ex duobus necessario alterum est principalius. Patet de sapientia, quæ componitur ex intellectu principiorum, & scientiæ: manifestum est autem, quod intellectus principiorum est pars principalior, cùm sit ex immediatis, scientia autem ex mediatis. Unde 6. Ethic. probat Philosophus, quòd sapientia non solùm est de principiis, sed de scibilibus, quia sapientis est de aliquibus habere demonstrationem, & illa scientia est ex immediatis.* Baccon.

14 Secundum: non omnem habitum mixtum ex scientia, & intelligentia esse sapientiam: (Licet omnis sapientia sit habitus ex una, & altera compositus, ut supra diximus.) Alioquin etiam Logica v. g. & Physica habitum sapientiæ obtinerent; quippe non solùm sunt scientiæ, sed & intelligentiæ; utraque enim non tam suas conclusiones, sed & sua principia attingit, & cognoscit. Igitur solus habi-

habitus compositus ex scientia, & intelligentia circa generalissima & universalissima principia, qui veritatem per illa, sive per altissimas causas, attingit, habitus sapientiæ nuncupatur. *Sapientia enim est habitus, qui habet attingere ad altissimas causas.* Doctor quodl. 2. q. 2. art. 2. §. 2. vers. *Probo primo.* Baccon.

15 Resolutio quinta: Objectum materiale per se Metaphysicæ est substantia. Probo resolutionem. Tametsi Metaphysica agat etiam de accidente, de hoc agit secundariò, minus principaliter, & per accidens; de substantia verò primariò, principaliùs, & per se: ergo objectum materiale per se Metaphysicæ est substantia. Confirmo ex Bacconio in 1. Prologi q. 3. art. 3. vers. *Ad authoritates*, Baccon. ibi: *Dico, quòd cùm Philosophus dederat suum objectum circa quod est ejus* (idest Metaphysicæ) *consideratio, & dixerat cap 2. quòd subjectum unum continet tanquam materiam subjecti duas partes ad invicem habentes attributionem, scilicet substantiam, & accidens, ex tunc dare voluit, quæ istarum partium materialium magis propriè, & principaliter pertineret ad ejus considerationem, & determinavit, quòd illa pars, cui alia pars attribuitur, scilicet substantia.*

16 Objicies. Si substantia esset objectum materiale per se Metaphysicæ, etiam substantia supernaturalis, nempe Deus, esset objectum ejusdem; sed substantia supernaturalis non potest esse objectum Metaphysicæ; cùm hæc sit habitus naturalis: ergo. Probas maiorem. Substantia supernaturalis continetur in ratione communi substantiæ: ergo si substantia esset objectum materiale per se Metaphysicæ, etiam substantia supernaturalis. Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem: Si

ſubſtantia eſſet objectum materiale per ſe Metaphyſicæ, etiam ſubſtantia ſupernaturalis, quatenus præcontenta in ratione communi ſubſtantiæ, concedo maiorem: quatenus in ſe ſupernaturalis eſt, nego maiorem. Unde non obſtat illius probatio, ſicut neque illa inſinuata minoris; quia tametſi Metaphyſica ſit habitus naturalis, poteſt attingere rationem communem ad ſubſtantiam naturalem, & ſupernaturalem per proprium principium, v. g. per hoc: *Quodlibet eſt, vel non eſt*, exquo ſubſtantia tam naturalis, quàm ſupernaturalis eſt, vel non eſt.

17 Subſtantiam verò ſupernaturalem in ſe non attingit hæc ſcientia, quippe Deus ſolùm cognoſcibilis eſt à nobis ex phantasmatibus creaturarum, quatenus continetur ſub objecto adæquato ejuſdem intellectûs creati, quod commune eſt ipſi Deo, & creaturis. Hoc expreſſè tenet Bacconius in 1. diſt. 3. q. 1. art. 1. §. 3. ibi: *Dico, quod ens* (idem de ſubſtantia) *ut commune ad ens naturale, & ſupernaturale eſt objectum intellectûs noſtri.* Rem explicat uberiori calamo Mag. Garcia tum in Megalog. diſt. 1. q. 2. art. 3. §. 2. tum in Metaph. diſt. 1. q. 3. art. 1. §. 3. Cæterùm quatenus ipſe Deus in ſe ſupernaturalis eſt, non valet à noſtro intellectu attingi, ſpectato ſecundùm ſuam potentiam, & propriis viribus ordinato ad actum, ut efficaciter oſtendit Bacconius adverſus noſtrum Walſinghan Doctorem Anglicum, olim ejuſdem Bacconii Magiſtrum. Verùm de hoc ſpeciatim agere ad Theologos ſpectat. Videndus M. Zagaglia tom. 3. tractatu 1. diſp. 1. ſectione 1. n. 8.

Baccon.

Garcia.

Zagaglia.

18 Reſolutio ſexta: Objectum attributionis Metaphyſicæ eſt Ens reale. Probo reſolutionem. Objectum attributionis alicujus ſcientiæ eſt id, ad quod omnia intra limites ejuſdem ſcientiæ ordinantur,

tur, ipsum verò ad nullum aliud ordinatur; sed omnia, de quibus Metaphysica agit (putà carentiæ, fictitia, accidentia, & ipsæ substantiæ) ordinantur ad Ens reale; hoc verò ad nihil amplius ordinatur: ergo objectum attributionis Metaphysicæ est Ens reale. Confirmo ex Bacconio in 1. Prolog. q. 3. art. 3. in principio: *Illud est ratio subjectiva ad quod stat ultima attributio; quia enim attributio accidentium* (idem de cæteris) *non solùm stat ad substantiam, sed ad ens, in quantum ens, ideo ens est subjectum in Metaph. & non substantia.* Baccon.

19 Objicies. Omnis scientia demonstrat veras passiones sui objecti; sed Ens nullas habet veras passiones demonstrabiles à Metaphysica; cùm nihil subterfugiat conceptum Entis: ergo Ens nullo pacto potest esse objectum Metaphysicæ. Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem. Quia unitas, veritas, & bonitas sunt veræ passiones Entis, ut disp. 2. dicemus, & has Metaphysica de ipso Ente sic demonstrat: *Est Ens: ergo unum, verum &c.* Neque obstat, quòd sint idem convertibiliter cùm Ente, quippe differunt ex natura rei à conceptu præciso Entis, estò non ab Ente contracto, ut infra n. 114. explicamus.

20 Audiendus Bacconius ubi supra vers. *Contra: Bonum, unum, & verum subterfugiunt ejus conceptum, quia licèt sint idem convertibiliter cum ente, sicut omnis passio cum subjecto, tamen differunt ratione, & hoc concedit Philosophus ibidem* 4. *Metaph. textu comm.* 3. *sic dicens: Si ergo Ens & unum sunt idem, & una natura, eò quòd ad se invicem consequuntur, non tamen una ratione ostensa. Sed quæ differunt ratione Metaphysicè accepta, unum subterfugit conceptum alterius aliquo modo, & ex* Baccon. Aristotel.

 natu-

natura rei. Tum quia Metaphysicus est artifex realis. Tum quia rationem vocat definitionem 7. Metaph. text. comm. 13. *&* 14. *Ratio (inquit) quam significat nomen est definitio, sed quæ differunt definitione differunt ex natura rei : ergo &c.*

21 Resolutio septima : Objectum formale *quod* Metaphysicæ, seu ratio formalis *quæ*, est formalitas Entis, in quantum Ens. Objectum verò formale *quo*, seu ratio formalis *subqua*, est scibilitas relucens in ipsa Entis formalitate. Probo resolutionem quoad primam partem sic: objectum formale *quod* alicujus scientiæ est id, quod ab ipsa attingitur ratione sui, sed formalitas Entis, in quantum Ens, attingitur ratione sui à Metaphysica: ergo. Confirmo ex Bacconio in 1. Prolog. q 3. art. 3. vers. *Ad argumentum* (S. Thomæ) ibi: *Consideratio Metaphysicæ est præcisè de ente, in quantum Ens.* Probo quoad secundam partem sic: Objectum formale *quo* est ultimum specificativum scientiæ; sed ultimum specificativum Metaphysicæ est scibilitas relucens in ipsa formalitate Entis, concorditer ad ea, quæ diximus tom. 2. in Proœm. ad Physicam n. 36. videlicet, objectum formale *quo*, seu rationem formalem *subqua* Physicæ, consistere in scibilitate relucente in mobilitate: ergo.

Baccon.

22 Objicies. *Metaphysica distinguitur ab aliis per hoc, quòd est circa Ens, in quantum Ens*, ut docet Bacconius nuper citatus ibidem arg. 2. vers. *Item* : ergo Ens, in quantum Ens, est ultimum specificativum Metaphysicæ. Respondeo ad objectionem, distinguendo antecedens: distinguitur ab aliis scientiis, per hoc, quòd est circa Ens, in quantum Ens, concedo antecedens : distinguitur etiam à purâ potentiâ intellectivâ, nego antecedens, & consequentiam. Unde tametsi Metaphysica distinguatur

Baccon.

guatur ab aliis scientiis, eò quòd non istæ, benè verò illa agat de Ente, in quantum Ens, non per id distinguitur ab omni eo, quòd ipsa non est, quoniam & intellectus, cùm sit potentia universalissima, attingere valet Ens, in quantum Ens. Ast cùm intellectus in demonstrandis sui objecti passionibus possit errare, idcirco specificativum ultimum Metaphysicæ, quæ coalescit ex habitu intelligentiæ, & scientiæ, est scibilitas relucens in ipsa Entis formalitate, distinguens Metaphysicam non modò ab aliis scientiis, sed etiam à pura intelligentia.

23 Resolutio octava: Principia universalissima & generalissima Metaphysicæ sunt hæc: *Impossibile est idem simul esse, & non esse. Quodlibet est, vel non est.* Probo resolutionem. Metaphysica inter scientias naturales est scientia generalissima, & universalissima, uti eam vocant Philosophus, & Resolutus, habet enim objectum universalissimum, nempe Ens: ergo oportet, quòd habeat principia generalissima & universalissima, qualia sunt præfata principia; nulla enim est alia scientia, cujus illa sint propria, nisi Metaphysica.

24 Observandum modò, nullam scientiam specialem probare sua principia per universalissima propria; quia omnis specialis scientia caret principiis propriis universalissimis, ita quòd non valeat quis amplius arguere ex principiis ejusdem specialis scientiæ adversùs negantem prima ejus principia, nisi utatur principiis universalissimis Metaphysicæ; hæc enim & habet sua, perquæ unum de alio probatur, & ex quibus ipsa conclusiones deducit; & rursus habet principia universalissima propria, ita quòd per hæc probentur alia, si fortè negata fuerint in argumento, & hoc tanta activitate, & vi, ut negans, ad impossibile facilè reducatur. Ad hæc igitur

igitur duo principia reducuntur alia ejusdem Metaphysicæ, quibus & ipsa Logica utitur pro structura syllogistica.

25 Objicies. Metaphysica est dogma omnium scientiarum, & maximè scientia, ut inquit Aristoteles variis in locis: ergo oportet, quòd habeat principia infallibilia; sed principium illud: *Impossibile est idem simul esse, & non esse*, non est infallibile: ergo non est principium Metaphysicæ. Cætera patent. Probas minorem. Tale principium non est verum in Divinis: ergo non est infallibile. Probas antecedens. In Divinis idem simul est, & non est: ergo tale principium non est verum in Divinis. Probas antecedens, & primò sic: Filiatio realiter est producta, Natura, quæ est realiter Filiatio, non est realiter producta: ergo in Divinis idem simul est, & non est, & quidem realiter. Secundò sic: Paternitas est prædicatum realiter distinctum à Filiatione, & Spiratione passiva, Constitutivum Essentiæ, quod est realiter Paternitas, non est distinctum realiter à Filiatione, & Spiratione passiva: ergo idem quod supra.

Aristotel.

26 Respondeo ad objectionem concedendo primum antecedens unà cum consequentia, & negando minorem. Ad probationem nego antecedens. Ad ejus probationem distinguo antecedens: in Divinis idem simul est, & non est, sumptum diverso modo, concedo antecedens: idem eodem modo sumptum, nego antecedens. Ad primam probationem patet solutio ex dictis in Logica tractatu 4. disp. 3. sectione 1. q. 2. n. 789.& 790. Ad secundam patet ex dictis in Compendio pro diverso, & eodem disp. 4. sectione 1. q. 4. num. 456 & sequent. Addo, satis esse, quòd principia Metaphysicæ verum habeant in rebus creatis, ut salvetur, quòd ipsa scientia

entia sit naturalis infallibilis. Audi Mag. nostrum Blasco tom. 1. Cursus Philosoph. l. 4. dist. 10. q. 3. n. 51. *Si ergo* (inquit) *semel concedimus in Divinis aliquod principium naturale non tenere , non reputo inconveniens , neque hoc tenere.* Impossibile est idem simul esse, & non esse , affirmari , & negari vere : *Quia ejus sphæra extra creaturas non ascendit.* Blasco.

27 Resolutio nona. Metaphysica est virtus mentis. Probo resolutionem. Virtus mentis juxta Philosophum 6. Ethic. cap. 3. est habitus, quo *anima verum dicit* ; sed talis est Metaphysica ; cùm ipsa sit sapientia, ut ex supra dictis constat : ergo Metaphysica est virtus mentis. Unde Bacconius in 1. Prolog. quæst. 4. art. 1. in art. 5. §. 1. non longè à principio , inquit : *Vult* (Philosophus) *quòd sapientia includat intellectum , qui est habitus principiorum , quia est scientiarum certissima : & quòd includat scientiam parum supra , quia sapientis est de aliquo habere demonstrationem : & tunc concludit : oportet ergo sapientem non solùm , quæ est ex principiis scire , sed & circa principia verum dicere.* Baccon.

28 Objicies. Metaphysica tradit multa, quæ vera non sunt : ergo non est virtus mentis ; siquidem, ut ex dictis patet, virtus mentis est habitus, quo *anima verum dicit*. Probas antecedens. Plures Metaphysici ex regulis , & principiis ipsius Metaphysicæ docent , Ens non habere veras passiones , substantiam antecedenter ad quantitatem non habere partes distinctas , & alia hujusmodi ; sed hæc vera non sunt : ergò Metaphysica tradit multa, quæ non sunt vera. Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem , conceflâ maiore, & minore , nego consequentiam. Quia tametsi plures

res Metaphysici non vera doceant ex principiis Metaphysicæ, id per accidens se habet respectu Metaphysicæ, quæ semper ex se in verum inclinat. Sicut Medicina semper per se inclinat in sanitatem, tametsi sæpe morbus, & mors sequantur ex regulis curativis à pluribus Medicis malè applicatis, sive à prava earum applicatione.


29 Resolutio decima: Metaphysica est scientia utilissima ad perficiendum intellectum, ad perfectionem aliarum scientiarum, & maximè ad Sacræ Theologiæ consecutionem. Inprimis enim humanus intellectus (ut bene observat Suarius Metaph. disp. 1. sectione 3.) licèt indigeat ministerio sensuum, & phantasmatum, eò quòd sit in corpore, tamen secundùm se, utpote spiritualis, vim habet res spirituales percipiendi, etiam Divinas, ex quo ab Aristotele l. 1. de Anima textu 82 *quodammodo divinus* appellatus est; quapropter Metaphysica circa sensus etiam, & sensibilia versata, cùm sit universalissima, intellectum ipsum humanum perficit. Deinde aliæ scientiæ sæpe utuntur principiis Metaphysicæ, aut ea supponunt, ut in suis demonstrationibus progredi valeant. Tandem, quantum naturali lumine fas est, comtemplatur hæc scientia Deum ipsum, & certè inter cæteras scientias naturales Sacræ Theologiæ præcipuè ministrat, proximèque conducit ad ultimum finem cognoscendum. Unde ait D. Thomas: *Hoc autem modo se habet Philosophia prima ad alias scientias speculativas: nam ab ipsa omnes aliæ dependent utpote ab ipsa accipientes sua principia, & directionem contra negantes principia, ipsaque prima philosophia tota ordinatur ad Dei cognitionem, sicut ad ultimum finem.* 3. contr. Gent. c. 25. Et sane ista facultas Metaphysica dicitur, eò quòd fines naturæ transgrediatur;

Suarius.

Aristot.

D.Thom.

eſt enim Metaphyſica nomen græcum ; quod ex *Meta*, ideſt *trans*, ſive *ultra*, vel *ſupra*, & ex *Phyſis*, ideſt *natura*, componitur. Ea denique eſt, quæ tam ab Ariſtotele, quàm à veteribus Doctoribus Scholarum Principibus, multis, & quidem honorificis, titulis inſignitur. Vocatur per antonomaſiam *Philoſophia*, item *Philoſophia prima*, *Theologia Philoſophorum*, *Theologia naturalis*, *Sapientia*, *& omnium Scientiarum Domina*, *Caput*, *&* *Regina.*





TRACTATUS UNICUS

PRO

ENTE METAPHYSICO.



ABITA jam Procemialium notitiâ, aggredimur præcipuas quæſtiones diſcutere circa Ens, quod Metaphyſica reſpicit pro objecto. Et quoniam ad perfectam Entis, cognitionem ſufficit examinare conceptum, & tranſcendentiam, proprietates ejuſdem, atque diviſiones, in quatuor dumtaxat diſputationes tractatum dividimus: Primam de conceptu, & tranſcendentia Entis: Secundam de Entis proprietatibus: Tertiam de præcipuis Entis diviſionibus, & de Ente Divino in particulari: Quartam de celeberrima diviſione Entis in decem prædicamenta.

DIS-

DISPUTATIO I.

De Conceptu, & transcendentia Entis.

SECTIO I.

De Conceptu Entis.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Ens habeat conceptum unum objectivè præcisum à differentiis suorum inferiorum?

30 RESOLUTIO est affirmativa. Ita Baccon.
Doctor in 1. dist. 25. q. 1. art. 3.
per totum. Tenent resolutionem
Mag. Zagaglia tom. 2. parte 1. disp. 2. sectione 4. §. Zagaglia.
1. Mag. Aymus in Metaph. parte 1. dist. 3 q. unica Aymus.
art. 1. vers. *Resolutio* 1. Mag. Dionysius Blasco tom. Blasco.
1. l. 4. dist. 12. q. 3 art. 1. Mag. Garcia in Metaph. Garcia.
dist. 1. q. 9. art. 1. §. 2. cæterique discipuli Resoluti. Sotus.
Ex Thomistis Sotus cap. 4. q. 1. conclusione 2. Deca Deca.
in 1. dist. 3. q. 1. Mercado cap. 1. ante prædicam. Mercado.
Cumel 1. p. q. 13. art. 1. q. 2. conclusione 4. Ex Sco- Cumel.
tistis Mastrius disp. 2. Metaph. q. 1. n. 10. Poncius Mastrius.
ibidem disp. 2. q. 2. conclusione 2. n. 10. ubi ait: Poncius.
Hæc est Scoti 1. l. 3. & dist. 8. cum suis omnibus. Ex
Jesuitis Suarius disp. 2. Metaph. sectione 2. num. 8. Suarius.
Hurtadus ibi disp. 2. sect. 3. & plures alii. Favet Hurtadus
Aristoteles 4. Metaph. cap. 3. textu 7. dicens: *Unum* Aristotel.
quoddam Entis genus est. Ante resolutionis probationem,

31 Prænoto primò, Ens reale definiri communiter sic: *Quod potest existere realiter*, idest sine contradictione prædicatorum, quæ quidem definitio, seu potiùs Entis realis descriptio, convenit etiam Enti actu existenti; quippe, quòd actu existit, certò existere potest, juxta illud: *Ab actu ad potentiam valet consequentia.* Dixi, *seu potiùs Entis realis descriptio*, quia, cùm ratio Entis ut sic sit universalissima, & simplicissima, non valet Ens strictè definiri, id, quod benè advertunt Philosoph.
Lossada. nominatim Lossada in Metaph. disp. 1. de Ente reali in communi, in principio. Colligitur definitio
Aristotel. illa ex Aristotele Metaph. l. 9. cap. 4. textu 8. ubi docet, quòd ex Ente reali posito in actu nihil sequitur impossibile.

32 Prænoto secundò, conceptum objectivum correspondere necessariò conceptui formali. Conceptus formalis est actus intelligendi. Objectivus est res intelligibilis. Unde formalis ab objectivo specificatur; cùm actus intelligendi sit per ordinem ad objectum intelligibile. Prænoto tertiò contra nonnullos Thomistas, Ens habere in intellectu nostro conceptum unum formalem, qui non repræsentat differentias suorum inferiorum. Nam cùm hæc vox, seu nomen, *Ens*, non solùm materialiter sit una, sed unam habeat significationem ex primæva impositione sua, non potest tali voci, seu nomini, non correspondere in mente unus conceptus formalis. His prænotatis,

33 Probo resolutionem, & primò sic: Ens habet unum conceptum formalem præcisum à conceptibus differentiarum suorum inferiorum: ergo habet conceptum unum objectivum sic similiter præcisum. Probo antecedens. Intellectus potest concipere Ens esse id, quod potest existere realiter,

nihil

nihil cogitans, ſit ne ſubſtantia, vel accidens; ſed hic eſt conceptus formalis Entis, præciſus à conceptibus differentiarum ſuorum inferiorum: ergo &c. Item poteſt aliquis eſſe certus de eo, quòd aliquid ſit Ens, & dubitare, ſit ne ſubſtantia, vel accidens, ut ſiquis dubitet, an hic panis ſit ritè conſecratus, inquo caſu dubitat, an ibi ſit panis ſubſtantia, an tantùm accidens. Probo etiam illam conſequentiam ſup. Unitati conceptûs formalis debet neceſſariò correſpondere unitas conceptûs objectivi: ergo ſi Ens habet unum conceptum formalem præciſum à conceptibus differentiarum ſuorum inferiorum, habet utique conceptum unum objectivum ſic ſimiliter præciſum. Probo antecedens. Diverſitati conceptuum formalium neceſſariò correſpondet diverſitas conceptuum objectivorum: ergo ſimiliter. Antecedens eſt fundamentum, in quo maximè fidimus, propugnando Diſtinctionem Bacconicam, dequa in Compendio pro Diverſo, & Eodem fuſè egimus. Conſequentia urget, præcipuè illos, qui admittunt unum conceptum formalem præciſum, & negant objectivum. Nonnulli varias huic fundamento afferunt ſolutiones, quas haud inefficaciter impugnat Maſtrius, ubi ſup. quapropter, prætermiſſo hoc labore, ad aliam probationem devenimus. Maſtrius.

34 Secundò ſic: Ens in ſuo conceptu objectivo non includit eſſentialiter differentias ſuorum inferiorum: ergo habet conceptum unum objectivè præciſum à differentiis eorum. Probo antecedens. Si Ens in ſuo conceptu objectivo includeret eſſentialiter differentias ſuorum inferiorum, ubicumque inveniretur Ens, invenirentur etiam ipſæ differentiæ; ſed hoc falſum eſt: ergo. Maior ex ſe clareſcit. Probo minorem. In accidente invenitur

tur Ens; sed non invenitur perseitas, quæ est differentia constitutiva substantiæ: ergo falsum est, quòd ubicumque invenitur Ens, inveniantur etiam ipsæ differentiæ.

35 Tertiò sic: In tantùm Ens non haberet conceptum unum objectivè præcisum à differentiis suorum inferiorum, in quantùm transcendit ipsas differentias; sed licèt transcendat differentias potest habere, & habet, unum conceptum objectivè præcisum: ergo. Maior est unum ex fundamentis partis adversæ. Probo minorem. Tametsi animal includatur in homine, & leone, habet nihilominus unum conceptum objectivè præcisum ab utroque: ergo idem dicendum de Ente respectivè ad differentias, licèt transcendat ipsas.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

36 NOstræ resolutioni opponuntur ex Thomistis Caietanus de Anal. nominum cap. 4. Zanard. 4. Metaph. q. 2. Arauxo ibidem q. 3. art. 4. Masius in Antepraedicam. sectione 1. q. 6. Complutenses nostri in Log. disp. 11. q. 5. n. 46. aliique citati à Mastrio, ubi sup. n. 2. vers. *His acceptis*, qui omnes non modò negant Enti conceptum unum objectivè præcisum, sed & formalem, præcipuè perfectum, sive adæquatum. Adversantur etiam Nominales cum Aureolo in 1. dist. 2. q. 1. qui, etsi admittant in Ente unum conceptum formalem, negant objectivum unum, quam sententiam tenet Mag. Valsingham. apud Bacconium sup. Suesan. q 4. Metaph. quæstione 1. & alii. Pro Thomistis citatis

Caietanus
Zanard.
Arauxo.
Masius.
Complut.
Walsing.
Suesan.
Aristot.

37 Objicies primò. Aristoteles 4. Metaph. cap. 2. docet, Ens considerari à Philosophis, quatenus dicitur de substantia, & de cæteris prædicamentis:

dicamentis : ergo judicat non habere unum conceptum objectivè præcisum. Respondeo ad objectionem , Aristotelem ibi locutum de Ente realiter & physicè sumpto , non formaliter in esse objicibili ad intellectum ; siquidem hanc considerationem admittit etiam ibidem cap. 1. Audiendus Bacconius ubi sup. §. 3. vers. *Sed ad hoc : Philosophus 4. Metaph. cap. 1. considerat de ente in quantum ens , & in 2. cap considerat de ente , ut dicitur de substantia , & de cæteris prædicamentis , quæ attribuuntur ad ipsum ; sed talis consideratio realis diversa , & immediata non posset esse , nisi ens in quantum ens in primò cap. haberet conceptum alium ex natura rei , quàm ens consideratum in secundo capite ubi dicitur de decem prædicamentis.* Baccon.

38 Objicies secundò. Si Ens haberet conceptum unum objectivè præcisum à differentiis , posset cognosci Ens , non cognitis differentiis ; sed non potest : ergo. Maior liquet. Probas minorem. Ens transcendit differentias : ergo non potest cognosci , non cognitis differentiis. Antecedens est certum. Probas consequentiam. Semel , quòd Ens transcendat differentias , differentiæ sunt formaliter Ens ; sed ex eo , quòd differentiæ sint formaliter Ens , non potest Ens cognosci , non cognitis differentiis : ergo semel , quòd Ens transcendat differentias , non potest cognosci , non cognitis differentiis.

39 Confirmabis. Ideo genus dicit unum conceptum præcisum , & communem , quia non est de essentia differentiarum ; sed Ens est de essentia differentiarum ; cùm transcendat ipsas differentias: ergo Ens non potest dicere unum conceptum præcisum , & communem. Probas maiorem. Quod est de essentia alicujus rei nequit verè præscindi ab illa :

illa: ergo ideo genus dicit unum conceptum præcisum, & communem, quia non est de essentia differentiarum.

40 Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem. Ad probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Ad probationem consequentiæ, concessâ maiore, nego minorem. Quia ex eo, quòd differentiæ sint formaliter Ens, sequitur tantùm, quòd sine ratione Entis non possint cognosci ipsæ differentiæ formaliter; non verò sequitur, quòd Ens sine differentiis attingi non valeat. Solutio clarescet ex dictis in Compendio pro Diverso, & Eodem disp. 3. sectione 2. q 1. n. 311. cui robur acrescit ex dictis in Logica tractatu 2. disp. 3. q. 2.

41 Ad confirmationem nego maiorem. Ad probationem nego antecedens. Nam animal est de essentia Petri, & nihilominus præscinditur ab illo. Quòd si nostri Complutenses, ubi supra citati, dicunt, genus propriè loquendo, non præscindi ab speciebus, sed à differentiis tantùm, id negamus; siquidem præcisionem objectivam admittimus, ubi ponimus distinctionem Bacconicam; & hæc non modò intercedit inter animal, & rationale v. g. sed etiam inter animal, & Petrum, cum hoc discrimine, quòd distinctio inter animal, & rationale est mutua; inter animal autem, & Petrum non mutua, juxta doctrinam traditam in Logica loco supra proximè citato.

Complut.

42 Unde tametsi Ens sit de conceptu differentiarum, & transcendat ipsas, potest optimè præscindi à differentiis; neque enim conceptus Entis præcisus assumit taleitates inferiorum, sed solam rationem Entis, neque hæc imbibitur in inferioribus, nisi quando comparatur ad illa. Addit

Mag.

Mag. Blaſco ubi ſup. n. 3. *Ita ut contracta* (ratio Entis ut ſic) *non ſit ejuſdem rationis, ac erat abſtracta, & ideo non eſt univoca, nec genus, ſed æquivoca, quia per conjunctionem cum differentiis diverſificatur formaliter ratio Entis, non ita conceptus animalis, qui contractus eſt ejuſdem rationis, ac abſtractus, quia non imbibitur formaliter in differentiis, & ideo eſt univocum, & genus, & non tranſcendit. Tranſcendentia ergo, cùm ſit ultima incluſio prædicati ſuperioris in differentiis inferiorum, ſolùm obſtat, ne differentiæ inferiorum poſſint cognoſci, quin cognoſcantur, ut ens in illis imbibitum, non verò, quòd ens non poſſit ſine illis cognoſci, quia illæ non imbibuntur in ente, ſed imbibunt illud.* Blaſco.

43 Objicies tertiò. Si Ens haberet conceptum unum objectivè præciſum à differentiis, eſſet univocum; ſed non eſt: ergo idem, quod ſupra. Probas ſequelam. Conceptus ille haberet nomen commune: deinde ratio ſignificata eſſet omnino eadem, ut requiritur ad univocationem: ergo Ens eſſet univocum. Antecedens quoad primam partem patet. Probas quoad ſecundam. Illa ratio eſt omnino eadem, ut requiritur ad univocationem, quæ in ſe non includit actu pri cipia diſtinguentia, etiam ſi illa includat in potentia; ſed ille conceptus præciſus eſt hujusmodi: ergo. Maior liquet in animali. Minor admittitur. Conſequentia ſequitur.

44 Reſpondet P. Suarius, & alii citati à Complutenſ. noſtris, conceptum univocum nec actu includere principia diſtinguentia, nec poſtulare deſcendere ad inferiora cum quadam inæqualitate, non modò ex parte inferiorum, ſed nec ex intimis viſceribus ipſius conceptûs; conceptum autem analogum (tametſi hic non includat actu prin- Suarius.

cipia distinguentia) postulare ex se descendere ad inferiora cum quadam inæqualitate, quod cùm habeat Ens, idcirco non est univocum. Hæc solutio validè ab iisdem Complutensibus impugnatur. Scotus admittit sequelam, quapropter Mastrius illius doctrinâ imbutus concedit, Ens esse univocum, non tamen purum, sed univocum analogum. Bacconius in 1. dist. 25. art. 3. §. 1. vers. *Dico*, distinctione procedit, dicens, quòd Ens, ut est unum prædicatum abstractum à suis differentiis, non est univocum, nec æquivocum, nec analogum: ut autem concernit sua contenta esse æquivocum, vel analogum, non autem univocum. Ex eodem

Complut.
Scotus.
Mastrius.
Baccon.

45 Respondeo ad objectionem negando sequelam maioris. Ad probationem, concesso antecedente quoad primam partem, nego quoad secundam. Ad probationem secundæ partis, distinguo maiorem: illa ratio est omnino eadem, ut requiritur ad univocationem, quæ in se non includit actu principia distinguentia, & habet alias conditiones ad univocationem, concedo maiorem: aliter, nego maiorem. Quare, ut ratio sit omnino eadem, prout requiritur ad univocationem, non sufficit, quòd non includat actu principia distinguentia, sed opus est ulteriùs, quòd talis ratio non conveniat diversimodè suis contentis, ideft, uni principaliter, & alteri minus principaliter, quasi per dependentiam ab alio, ut docet Bacconius in 1. distinct. 25. art. 4. §. 3. vers. *Item.* Ratio verò Entis convenit accidenti dependenter à substantia, & creaturæ dependenter à Deo: igitur tametsi præfata ratio in se non includat principia actu, non inde est univoca univocatione Logicâ.

Baccon.

46 Quod autem non sit univoca univocatione metaphysicâ, patet ex eo; quia ad hoc opus

erat, quòd illa ratio communis eſſet ejuſdem rationis reſpectu ſuorum contentorum, ut res ſunt; & licèt Ens, præciſè acceptum, ſit ejuſdem rationis in ſubſtantia, & accidente, quantùm ad prædicatum quidditativum commune, non tamen eſt ejuſdem rationis in illis, ut res ſunt, ſicut eſt animalitas in homine, & bruto. Rationem diſcriminis aſſignat Bacconius: *Quia ſi Deus annihilaret quidquid eſſet in homine, etiam naturam ſuam ſenſitivam, ſi remaneret aſinus in rerum natura, non annihilaretur quidditas animalis, aut realitas hominis* (totaliter) *De ente autem in communi eſt contrarium: quia ſi Deus annihilaret accidens, & remaneret ſubſtantia, totaliter annihilaretur quidditas, & realitas accidentis. Et ſic patet, quòd aſinus, & homo in animali ſunt ejuſdem rationis, ut ſunt res, non autem ſubſtantia, & accidens in ente. Simile eſt de Deo, & creatura, ut conveniunt in ente.* In 1. diſt. 25. art. 4. §. 1. Ex quibus colligit Doctor, quòd ratio animalis in homine, & bruto eſt verè, & propriè univoca, univocatione non tantùm logicâ, verùm & metaphyſicâ; ſecus verò ratio Entis ad ſubſtantiam, & accidens, Deum, & creaturam. Baccon.

47 Hæc intelligenda ſunt de Ente concernente ſua contenta. Nam ſi loquamur de illo ita abſtracto, quòd nullo pacto contenta reſpiciat, non eſt univocum, nec æquivocum, nec analogum, ut ſup. etiam ex Bacconio dicebam, ſed eſt unum maiori unitate, & communitate, quàm ſit unitas univocationis. Ratio eſt: quia conceptus univocus, licèt ſit omnino idem in inferioribus, reſpicit ipſa inferiora, in quæ dividitur, & ſecundùm rem multiplicatur. Ens verò abſtractum nullum dicit reſpectum ad pluralitatem, & per conſequens

est unum maiori unitate, & communitate, quàm
Lalemand sit unitas univocationis. Placuit etiam Lalemandet hic modus discurrendi nostri Bacconii.

48 Objicies quartò. Si Ens haberet conceptum unum objectivè præcisum, & communem, sequeretur posse poni in definitionibus, sed hoc non modò est contra doctrinam Aristotelis, sed etiam absurdum in Philosophia: ergo. Probas sequelam. In definitionibus licèt ponere rationes communes, in quas propinquiora genera possunt resolvi; sed genera suprema possunt resolvi in Ens, ut si in hac definitione Angeli v. g. *Substantia creata intellectualis &c.* loco *substantiæ* ponatur *Ens per se*: ergo, si Ens haberet conceptum unum objectivè præcisum, & communem, sequeretur posse poni in definitionibus. Probas minorem quoad primam partem ex eodem Philosopho 8. Metaph. cap. 6. textu 16.
Aristot. dicente: *Non inest in definitionibus nec ens, nec unum.* Probas eamdem minorem quoad secundam partem. Si Ens poneretur in definitionibus, duplici ratione definitiones intraret, semel quidem ratione sui, & iterum ratione differentiæ, in qua necessariò imbibitur; sed hoc est absurdum in Philosophia: ergo.

49 Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem. Ad probationem primæ partis dico, Aristotelem solùm negare Ens poni in definitionibus propriè essentialibus, & in rigore logico; quia hæ tradi debent per proprium genus, & per propriam differentiam. Cæterùm id non negat, loquendo de aliis definitionibus suo modo explicantibus essentiam definiti; siquis enim loco generis poneret in definitionibus, Ens, cum modo determinante, nihil mali faceret. Hinc ad probationem secundæ partis ejusdem minoris, con-

cessâ

cessâ maiore , nego minorem. Nam, ut non committatur absurdum , sufficit diversus modus concipiendi Ens in definitione , videlicet per modum determinabilis , & determinantis , alioquin enim in hac definitione substantiæ , *Ens perse* , committetur absurdum , & nugatio , cùm in ipso modo, *perse*, includatur Ens , sicut & in omnibus differentiis inferioribus. Nullus autem Philosophorum docet, committi absurdum in præfata definitione , imò omnes tenent , per talem definitionem distinctiùs explicari id , quod substantia dicit confusiùs. Notat Suarius Magnus in Metaph. disp. 32 sectione 2 num 8. hanc objectionem procedere non tam contra admittentes, Ens habere conceptum unum objectivè præcisum , sed & adversùm omnes ; quia , inquit , sive Ens sit univocum , sive analogum , sive habeat conceptum unum , sive non , semper est certum , substantiam esse *Ens perse* , sicut accidens *Ens in alio.* Suarius.

50 Objicies quintò. Ex resolutione sequitur aliquid esse simplicius Deo ; sed hoc non est admittendum : ergo non stat resolùtio. Probas sequelam. Conceptus Entis abstractus habet rationem partis respectu inferioris ; sed omnis pars est simplicior composito : ergo. Respondeo ad objectionem negando sequelam. Ad probationem distinguo maiorem : Conceptus Entis abstractus habet rationem partis respectu inferioris, in rebus creatis , concedo maiorem : in Divinis , nego maiorem. Ratio discriminis est ; quia in rebus creatis distinguimus rationem Entis , & rationem differentiæ Entis contractivam , tanquam potentiam , & actum. Ast in Divinis non est ita , quia rationes formales prædicamentorum ponuntur in Deo , ut depuratæ ab omni imperfectione , quod expressè docet Resolutus va-

riis

riis in locis. Unde licèt conceptus determinabilis in creatura se habeat ut pars potentialis, non sic in Deo, in quo non minus est actus, ac conceptus determinans. Verùm quanvis Deus sit unicus actus realiter, nihilominus formaliter conceptibiliter dicit plures, unum Entis ut sic, qui est prior in prædicando, & alium talis Entis. Ex quibus sequitur tantùm potentialitas in Deo quoad modum significandi, non quoad rem significatam.

51 Objicies sextò. Sequitur etiam, quòd prædicamenta non differant se totis, nec sint primò diversa, cùm conveniant in ratione communi Entis: ergo. Respondeo ad objectionem negando sequelam. Ad insinuatam probationem dico, quòd prædicamenta, tametsi conveniant in ratione communi Entis, semper sunt primò diversa secundùm sua prædicata physica, & ut entia designata, quanvis non sint primò diversa transcendenter, sicut Ens, & nihil. Ita Bacconius ubi sup. art. 3. §. 4. vers. *Ad tertium*. Igitur prædicamenta sunt primò diversa; quia ultra transcendentiam, in nullo alio prædicato communi conveniunt. Dicuntur etiam conceptus simplices per exclusionem plurium realitatum, non autem per exclusionem conceptuum objectivorum. Hæc sunt fundamenta, quibus Complutenses nostri maximè fidunt à n. 47. usque ad n. 52. Sed adhuc adversùs eamdem resolutionem pro Nominalibus supra relatis

Baccon.

Complut.

52 Objicies septimò. Si Ens haberet conceptum objectivè præcisum à differentiis, talis conceptus aut esset absolutus, aut respectivus; sed non esset absolutus, quia tunc non conveniret respectivis, nec esset respectivus, quia tunc non conveniret absolutis: ergo Ens non habet conceptum objectivè præcisum à differentiis. Sic arguit Aureolus.

Aureolus.

lus. Caterùm, ut benè notavit Mastrius hîc, argumentum si valeret, concluderet etiam contra conceptum formalem, quem Nominales cum Aureolo admittunt. Nam talis conceptus formalis vel esset absolutus, vel relativus, adeoque ex eodem capite implicaret. Bacconius ubi sup. §. 4. vers. *Ad secundum*, docet, quòd Ens, ut Ens, est indifferens ad esse absolutum, & respectivum. Hoc posito, Mastrius. Baccon.

53 Respondeo ad objectionem negando maiorem. Siquidem talis conceptus esset indifferens ad esse absolutum, & respectivum. Potest tamen dici, quòd conceptus Entis præcisus sit absolutus negativè, non positivè, quatenus in illa communitate non est determinatus ad esse respectivum; non autem, quia sibi determinet in tali communitate rationem absoluti, alioquin non posset fieri Ens respectivum.

54 Objicies nonò pro Mag. Valsingaham. Admisso conceptu Entis objectivè præciso, sequitur processus in infinitum; sed hic non est admittendus: ergo nec ille. Probas sequelam. Sequitur, quòd prædicamentum sit Ens per aliud, nempe per ipsam rationem communem Entis; sed hæc etiam erit talis per aliam rationem communem, & sic in infinitum: ergo. Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem distinguo maiorem: sequitur, quòd prædicamentum sit Ens per aliud, distinctum in esse objicibili tantùm à differentia, & taleitate prædicamenti, concedo maiorem: distinctum in esse physico, nego maiorem; quia ratio communis Entis tantùm in esse objicibili ad intellectum distinguitur à quolibet prædicamento. Deinde nego minorem; quia tametsi prædicamento addatur conceptus Entis in communi, non sequitur, quòd Enti in communi addatur alius conceptus. Walsing.

55 Obji-

55 Objicies decimò, & directè contra primum resolutionis fundamentum. In tantùm Ens posset habere unum conceptum objectivè præcisum, in quantùm intellectus posset esse certus de eo, quòd aliquid sit Ens, & dubitare sit ne substantia, vel accidens; sed ex hoc non sequitur, quòd Ens habeat unum conceptum objectivè præcisum: ergo. Maior liquet ex sup. dictis. Probas minorem. Etiam intellectus potest esse certus, quòd una res sit individua, & dubitare, an sit hoc individuum, vel illud; atqui ex hoc non sequitur, quòd detur conceptus communis individui objectivè præcisus: ergo similiter &c.

56 Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem. Ad probationem, concessâ maiore, & permissâ minore, nego consequentiam. Quia individuum ex conceptu suo dicit rationem singularem, quo posito, sequeretur contradictio ex ratione communi præcisa individui; esset enim, & non esset singularis. Ens verò ex conceptu suo non dicit singularitatem, sed tantùm posse existere; & cum intellectus possit esse certus, quòd aliquid possit existere, & dubitare, an existere possit per se, vel tantùm in alio, benè potest præscindere à substantia, & accidente rationem communem Entis, absque contradictione. Dixi, *permissa minore*; quia ab individuis secundò intentionaliter sumptis optimè potest præscindi ratio communis individui, ut diximus in logica tractatu 3. disp. 1. sectione 3. q. 2. n. 685. Item potest intellectus ex parte objecti concipere naturam, quæ sit individuum vagum, cognoscens v. g. hominem à longè, vagè tamen Petrum, aut Paulum.

57 Objicies undecimò contra secundum ejusdem resolutionis fundamentum. Cognito Ente ut

ut ſic, cognoſcuntur omnes differentiæ: ergo Ens non habet conceptum objectivè præciſum à differentiis. Probas antecedens. Cognito Ente ut ſic, cognoſcitur quidquid habet eſſe; ſed omnes differentiæ habent eſſe: ergo cognito Ente ut ſic, cognoſcuntur omnes differentiæ. Reſpondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem diſtinguo maiorem: Cognito Ente ut ſic, cognoſcitur quidquid habet eſſe, cognoſcitur ſecundùm conceptum communem, concedo maiorem: ſecundùm conceptus particulares, nego maiorem. Quia intellectus cognoſcens in aliqua entitate rationem Entis, poteſt dubitare, an ſit ſubſtantia, vel accidens, ut ſupra dicebam. Deinde, ſi in Ente includerentur omnes differentiæ, certò in ſubſtantia includeretur accidens, & è contra; etenim in utroque reperitur ratio Entis.

58 Inſtabis. Negatio non plus negat, quàm affirmatio affirmat; ſed negatio Entis negat omnes differentias: ergo affirmatio ejuſdem omnes affirmat. Reſpondeo ad inſtantiam negando maiorem; quia negatio, cùm ſit malignantis naturæ, negat omnia: ſic negatio Entis non modò negat Ens in communi, ſed omnes illius differentias. Cæterùm affirmatio aliter ſe habet, & ideo optimè poteſt affirmari ratio Entis in communi, quin affirmentur omnes, vel aliquæ illius differentiæ. Siquis optat aliam ſolutionem adeat Mag. Garciam hîc n. 373. Garcia.

59 Objicies duodecimò contra tertium fundamentum. Licèt animal præſcindat ab homine, non ex eo probatur Ens præſcindere à differentiis: ergo. Probas antecedens. Animal non tranſcendit differentiam rationalis, ſicut Ens ſuas differentias: ergo licèt animal præſcindat ab homine, non ex eo

probatur Ens præscindere à differentiis Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Nam tametsi animal non transcendat differentiam rationalis, includitur essentialiter in homine, & si, hoc non obstante, potest præscindere ab homine, ita Ens à differentiis, quin obstet illius transcendentia. Ex dictis

60 Deduces primò, Ens non esse genus ad sua contenta, sicut animal ad sua inferiora, non obstante, quòd Ens habeat conceptum unum objectivè præcisum à differentiis suis, sicut habet animal à suis inferioribus. Quia *secundum Philosophum* Baccon. *3. Metaph. ad rationem generis non sufficit quod sit indifferens conceptus, sed requiritur, quod applicatus ad sua contenta non prædicetur de eis: non enim prædicatur animalitas de rationalitate, sicut entitas prædicatur de omni entitate signata.* Bacconius ubi sup §. 4. in fine.

61 Deduces secundò, in quolibet Ente dari essentiam, & talem essentiam. Unde taleitas aliquid addit supra essentiam ut sic, ita, quòd essentia ut sic, & talis essentia sint conceptus differentes; siquidem essentia ut sic prior est ipsâ taleitate, non enim potest idem esse prius se ipso. Igitur stat optimè, quòd præscindatur conceptus Entis à differentiis suis, etiam non obstante transcendentiâ, ex qua argui non debet identitas formalis intentionalis Entis cum differentiis, benè verò differentiarum cum Ente, juxta doctrinam, de qua infra n. 65.

SE-

SECTIO II.

De Transcendentia Entis.

QUÆSTIO UNICA.

Utrùm Ens transcendat formaliter suas differentias?

62 RESOLUTIO est affirmativa. Ita Doctor expressè in 1.dist.25 q unica art.1 § 2.per totum.Mag Zagaglia tom.2.tractat.1.disp. 2. sectione 3. parte 2. §.1. n. 2. Mag. Aymus parte 1. Metaph. dist. 3. q. unica art. 2. Mag. Blasco tom. 1. Cursus Philosoph. l. 4. dist. 12. q. 4 art. 5. §. 1. Mag. Garcia in Metaph. dist. 1. q. 7. art. 1. n. 331. & cæteri discipuli Resoluti. Est certa in sententia D. Thomæ, & Thomistarum, quos sequuntur Complutenses nostri Logicæ disp 11. q. 5. n. 38. Eidem subscribunt Fonceca 4. Metaph q. 4. Suarius Granatens. Metaph. disp. 2. sectione 5. n. 16. & Lusitanus tractatu 1. Metaph. disp. 1 sectione 1 num 10. Vasques, Hurtadus, & alii DD. Societatis, quos citat P. Ludovicus de Lossada disp. 1 Metaph. cap. 4. §. 1. n 74. & sequitur § 2. Est communis inter Recentiores extra Scholam D. Subtilis, & expressa Aristotelis 3. Metaph. cap. 3. textu 10. Ad illius intelligentiam

Baccon. Zagaglia. Aymus. Blasco. Garcia. D.Thom. Complut. Fonceca. Suarius Gran. Suar. Lusitan. Vasques. Hurtad. Lossada. Aristotel.

63 Prænoto primò, quæstionem non procedere de Ente identicè, & materialiter sumpto, cùm certum sit apud omnes, quòd Ens ita acceptum transcendat suas differentias, eò quòd identificetur cum illis. Procedit igitur quæstio de Ente formaliter spectato, ita ut sensus sit: an differentiæ Entis sint Ens formaliter.

64 Prænoto secundò, differentias alias dici ultimas, alias non ultimas. Per ultimas differentias intelligunt plures (etiam ex Scotistis nobis contrariis) ultimas formalitates rerum. Sic rationalitas, quæ ultimò constituit hominem, dicitur ultima differentia constitutiva ejusdem. Formalitates verò vegetativi, & sensitivi dicuntur differentiæ non ultimæ. Alii aliter explicant præfatas differentias. Cæterùm, quocumque modo explicentur, transcenduntur ab Ente.

65 Prænoto tertiò, transcendentiam, de qua in præsenti agimus, esse inclusionem prædicati superioris in inferioribus, ita, quòd inferiora non possint concipi secundùm omnia sibi essentialia absque ratione superiore in illis inclusa, tametsi ratio superior attingi optimè valeat absque inferioribus. Et hæc inclusio, strictè loquendo, potiùs dicenda est identitas formalis inferiorum cum superiore, juxta doctrinam traditam in Logica tractatu 2. disp. 3. q. 2. num. 476. Sic identificatur homo formaliter cum animali, cum vivente, corpore, & substantia; quia hæc omnia imbibuntur in formali, & quidditativo hominis conceptu; quapropter homo ab omnibus illis prædicatis transcenditur. Placet sic discurrere contra paucos. Neque enim transcendentia inferiorum obstat rationi universalis formaliter talis, sed tantùm transcendentia differentiarum ipsorum. Jam verò differentia hominis, nempe rationale, ab animali non transcenditur, quia animal non est de conceptu rationalis, nec prædicatum superius respectu illius. E' contra, Ens respectu suarum differentiarum. His prænotatis,

66 Probo resolutionem, & primò sic: Omne superius transcendit formaliter sua inferiora; sed Ens est prædicatum superius, & differen-

tiæ

tiæ Entis ſunt ejus inferiora: ergo Ens tranſcendit formaliter ſuas differentias. Probo maiorem. Omne ſuperius prædicatur formaliter de ſuis inferioribus; ſed quod prædicatur formaliter de ſuis inferioribus, tranſcendit illa; eò quòd non poſſit prædicari formaliter de illis, quin ſit de illorum conceptu: ergo omne ſuperius tranſcendit formaliter ſua inferiora. Probo etiam primam minorem. Philoſophus 3. Metaph. probat, quòd Ens non eſt genus, quia nihil ſubterfugit ejus prædicationem, ideſt, neque ſpecies, neque differentiæ; nam eſtò prædicatum genericum tranſcendat ſua inferiora, ſecus eorum differentias: ergo Ens eſt prædicatum ſuperius, & differentiæ ſunt ejus inferiora. Igitur &c. Ariſtot.

67 Secundò ſic: Quod non eſt nihil, nec aliquid conſequens ad Ens, eſt aliquid & Ens formaliter, ſed perſeitas v. g. & quæcumque alia differentia, non eſt nihil, nec aliquid conſequens ad Ens: ergo eſt aliquid & Ens formaliter. Igitur Ens tranſcendit formaliter ſuas differentias. Probo maiorem. Inter contradictoria non cadit medium: ergo ſi differentia Entis non eſt nihil, nec conſequens ad Ens, ſequitur, quòd ſit aliquid & Ens formaliter. Sic arguit Bacconius ubi ſup. citatus. Baccon.

68 Tertiò ſic: Non poteſt objectivè præſcindi perſeitas v. g. à ratione illa, per quam Ens reale differt ab ente ficto, maximè cum perſeitas non conſequatur ad Ens; ſed de ratione eſſentiali talis differentiæ ab ente ficto, eſt, quòd formaliter ſit Ens: ergo perſeitas non poteſt objectivè præſcindi à formali ratione Entis. Igitur &c. Maior liquet ex eo, quia illa differentia Entis realis ab ente ficto eſt de conceptu quidditativo perſeitatis. Probo minorem. De ratione eſſentiali talis differentiæ eſt, quòd poſſit poſitivè exiſtere à par-

te

te rei: ergo & quòd formaliter sit Ens. Sed quod formaliter est Ens, transcenditur ab Ente formaliter: ergo Ens transcendit formaliter suas differentias.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

69 NOstræ resolutioni opponuntur vetustiores, & candidiores Scotistæ, vide-
Trombet. licet, Trombeta 4. Metaph. q. 2. Antonius Andreas
Ant.Andr 4 etiam Metaph. q. 3. Zerbius ibidem q. 1. con-
Mairon. clusione 3. Mairon tractatu de Univ. Entis q. 4. &
Mastrius. alii, quos citat, & sequitur Mastrius in Metaph.
Poncius. disp. 2. q. 7 art. 1. n. 178. Poncius ibidem q. 3. con-
A'D.Petr. clusione 1. Dominicus à D. Petro in Metaph. tra-
Scotus. ctatu 4. disp. 2. q. 8. n. 3 Cæterique Scotistæ fideles, sequentes Subtilem Doctorem in 1. dist. 3. q. 3. Dixi sup. *Vetustiores, & candidiores Scotistæ*, quia ita loquitur Mastrius, deplorans num. 176. loci citati, quòd etiam multi ex sua Schola, clamoribus Adversariorum perterriti ab Scoto in hac quæstione recedant. Pugnant etiam pro non transcendentia ex
Lince. Jesuitis Lince, Quiros, Arriaga, & alii, quos ci-
Quiros. tant Lossada, ubi sup. & Illustr. Palanco, tractatu 5.
Arriaga. Bona Spes Logicæ q. 2 n. 11. Ex nostris Mag. Bona Spes tractatu ultimo Metaph. dubio 4. dicens, quòd Ens non aliter includitur in differentiis, quàm animal in rationali, aut irrationali. Pro his omnibus, & maximè pro Scotistis

70 Objicies primò. Si Ens transcenderet formaliter suas differentias, sequeretur processus in infinitum, & quòd differentiæ se totis non differrent; sed neutrum est dicendum: ergo Ens non transcendit formaliter suas differentias Probas sequelam. Si Ens transcenderet formaliter suas diffe-

differentias, differentiæ Entis convenirent in Ente, & differrent per alias differentias; sed hæ etiam in Ente convenirent, & differrent per alias: ergo si Ens transcenderet formaliter suas differentias, sequeretur processus in infinitum, & quòd differentiæ se totis non differrent. Huic objectioni, in qua potissimùm fidit Scotus, mille ab Adversariis (inquit Mastrius) adhibentur solutiones, quarum nulla sufficit. An igitur nostra sufficiat, ex dicendis patebit. Scotus. Mastrius.

71 Respondeo ad objectionem negando sequelam. Ad probationem, concessâ maiore quoad primam partem, nego quoad secundam; quia differentiæ, quæcumque sint, conveniunt in Ente, & sub eodem differunt: conveniunt in ratione Entis in communi, quod est indifferens & in plus se habens, quàm Ens signatum: & differunt in hac, & illa ratione Entis signati. Unde non differunt per alias differentias, nec sequitur processus in infinitum. Ad illud, quòd differentiæ se totis differunt, falsum est de differentiis respectu prædicati transcendentis, cùm hoc sit superius ad illas. Vide Bacconium ubi sup. Ad primum Scoti. Baccon.

72 Objicies secundò. Conceptus Entis est conceptus determinabilis, & conceptus differentiæ conceptus determinans; sed determinans in compositione metaphysica non includit conceptum determinabilem: ergo differentia non includit Ens, ac per consequens Ens non transcendit differentias. Maior ex se clarescit. Probas minorem à paritate compositionis physicæ.

73 Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, distinguendo minorem: determinans in compositione metaphysica non includit conceptum determinabilem, quando conceptus determinabilis

non

non eſt ſuperior reſpectu determinantis, concedo minorem: quando eſt ſuperior, nego minorem, conſequentiam, & conſequens. Nec obſtat paritas compoſitionis phyſicæ, quia materia non eſt prædicatum ſuperius reſpectu formæ, ſicut neque in compoſitione metaphyſica (hominis v g.) animal non eſt ſuperius reſpectu rationalis; non enim forma includit materiam, neque rationale animal. Verùm Ens includitur tanquam ſuperius in differentiis ſuis, quapropter Bacconius ubi ſup. ad ſecundum Scoti, loquendo de conceptu determinabili, & determi-
Baccon. nante, inquit: *Dico quòd utrobique conveniunt in ſuo ſuperiori tranſcendente, ſcilicet in ente.*

74 Inſtabis. Si rationale, quod eſt determinans animal, includeret animal, non poſſet intelligi quomodo animal contraheretur per rationale: ergo ſi differentiæ Entis includunt Ens, non poteſt explicari quomodo Ens contrahatur per differentias. Reſpondeo ad inſtantiam negando antecedens Quia in tali caſu poſſet animal contrahi per rationale ſecundùm id, quod rationale explicitè dicit, tametſi implicitè diceret animal. Aliis terminis: animal in illa hypotheſi contraheretur per illum conceptum particularem, perquem rationale ſuperabundaret animal. Sic de facto de Ente, & differentiis, quapropter negatur conſequentia.

75 Objicies tertiò. Si Ens tranſcenderet formaliter ſuas differentias, iſtæ convenirent in ratione Entis; ſed non conveniunt: ergo &c. Maior eſt certa. Probas minorem. Una differentia non eſt alia: ergo differentiæ in nihilo poſſunt convenire, ac per conſequens nec in ratione Entis. Antecedens eſt certum. Probas conſequentiam. Si in aliquo poſſent convenire, una non negaretur de alia,

alia, cùm negatio ſit malignantis naturæ: ergo.

76 Reſpondeo ad objectionem, conceſſâ maiore, negando minorem. Ad probationem, conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Ad probationem nego antecedens. Neque obſtat inſinuata probatio, quia una differentia ſolùm negatur de alia ſecundùm conceptum determinatum Entis, & explicitum talis differentiæ, non ſecundùm conceptum implicitum Entis. Eſt igitur argumentum parvi momenti, & ſolutio ſequentibus clareſcit exemplis: Tametſi de Petro negetur Paulus, uterque dicit rationem hominis: Similiter de homine negatur leo, & in utroque reperitur ratio animalis, & in omnibus ratio Entis.

77 Inſtabis. Ultima differentia taliter debet negari de alia, quòd in nihilo conveniat cum illa: ergo nulla ſolutio. Probas antecedens. Si in aliquo conveniret, non eſſet ultima: ergo. Probas hoc antecedens. Ideo ſenſibile non eſt ultima differentia hominis, quia per ſenſibile convenit homo cum aliis ab homine: ergo ſi ultima differentia in aliquo conveniret cum alia, non eſſet ultima. Reſpondeo ad inſtantiam negando antecedens. Ad probationem nego antecedens. Ad probationem dico, ſenſibile non eſſe ultimam hominis differentiam, quia per ſenſibile ita convenit homo cum bruto, quòd per illud formaliter ſumptum nullo pacto à bruto differat. At verò per rationale formaliter ſpectatum, & ſecundùm determinatum conceptum, differt homo ab omni non homine, etſi conveniat in ratione communi tranſcendenti, quæ non nocet ultimæ differentiæ.

78 Replicabis. Principia, & conſtituentia non habent tantam convenientiam, quantam habent principiata, & conſtituta. Sed Deus, &

creatura, ſubſtantia, & accidens conveniunt in ratione Entis: ergo ultimæ differentiæ non ita conveniunt. Confirmabis. Maior eſt convenientia inter compoſita metaphyſica, v. g. inter ſpecies ad invicem, putà inter hominem, & brutum, quàm inter ipſorum differentias: ergo. Reſpondeo ad replicam diſtinguendo maiorem: principia, & conſtituentia non habent tantam convenientiam &c. Si ſumantur per ordinem ad prædicata non tranſcendentia differentias, concedo maiorem: ſi ſumantur per ordinem ad prædicata differentias tranſcendentia, nego maiorem. Ad confirmationem diſtinguo ſimiliter antecedens: maior eſt convenientia inter compoſita metaphyſica &c. in prædicatis non tranſcendentibus, concedo antecedens: in prædicatis tranſcendentibus, nego antecedens. Igitur homo, & brutum, eſtò magis conveniant in ordine ad prædicata ſuperiora non tranſcendentia illorum differentias, quàm rationale, & irrationale, tamen in prædicatis differentias ipſas tranſcendentibus non magis conveniunt, quàm ipſæ differentiæ.

Zagaglia. 79 Obſervat Mag. Zagaglia, rationes iſtas Scotiſtarum nimis probare: necdum enim (inquit) probant contra ultimas differentias, verùm & contra non ultimas; cùm etiam hæ rationem habeant principii conſtitutivi, &, non minus, quàm ultimæ, ſe habeant per modum contrahentis Et ſi, hoc non obſtante, docent Scotiſtæ, differentias non ultimas includere Ens quidditativè, cur non ultimæ differentiæ?

80 Objicies quartò, & ſimul urgebis ſolutionem datam. Homo per ultimam differentiam ita differt ab aliis ab homine, putà à brutis, ſicut cum aliis convenit per genus; ſed per genus, ſive per rationem genericam, taliter convenit cum aliis

quòd

quòd nullo modo differat : ergo per ultimam differentiam taliter differt ab aliis, quòd nullo modo conveniat. Respondeo ad objectionem negando maiorem, sumpto, *sicut*, in toto rigore; & concessâ minore, nego consequentiam. Quia in ratione differentiali, cùm reperiatur ratio superior transcendens, homo per talem rationem convenit cum aliis. In ratione autem generica nulla reperitur differentia; neque enim hæc transcendit rationes communes. Non igitur homo differt per ultimam differentiam, sicut convenit per genus.

81 Objicies quintò. Si Ens transcederet formaliter suas differentias, esset prius, & posterius quolibet gradu generico sibi inferiore; sed hoc repugnat: ergo. Probas assumptum. Ens includeretur formaliter in substantia: ergo ex hoc capite esset prius gradu generico viventis. Deinde includeretur formaliter in animali : ergo ex hoc esset ipso viventi posterius. Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem. Quia nulla est repugnantia respectu diversorum. Ens autem, ut contractum ad substantiam, est prius vivente; posterius verò, ut inclusum in animali.

82 Objicies sextò. Potest concipi differentia Entis realis, quin Ens reale concipiatur : ergo Ens non transcendit omnes, & quascumque differentias. Probas antecedens. Sæpe apprehendimus aliquod objectum dubitando, sit ne Ens reale, vel fictum; sed in his casibus concipimus differentiam Entis realis: ergo potest concipi differentia Entis realis, quin Ens reale concipiatur. Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem, concessâ maiore, nego minorem. Quia tunc etiam de differentia Entis realis dubitamus, non minus ac de ipso Ente.

83 Instabis. Potest concipi differentia Entis præscindens ab Ente reali, & ficto: ergo potest concipi differentia Entis, quin Ens concipiatur. Probas antecedens. Potest concipi animal præscindens à rationali, & irrationali: ergo similiter differentia Entis præscidens ab Ente reali, & ficto. Respondeo ad instantiam, negando antecedens. Ad probationem, concesso antecedente, nego consequentiam; quia non sequitur, benè verò ista: *ergo potest concipi Ens præscindens à differentiis*, quæ est vera. Unde animal potest concipi absque rationali, & irrationali; quia nulla ratio differentialis transcendit rationem communem. Ast ratio Entis, cùm sit superior respectu differentiarum, & de illarum conceptu quidditativo, idcirco concipi non potest differentia præscindens ab Ente.

84 Objicies septimò. Perseitas non est formaliter substantia, benè quidem differentia constitutiva substantiæ, sive (ut alii dicunt) modus Entis; sed si Ens transcenderet perseitatem, ista esset substantia: ergo non transcendit illam. Maior liquet. Probas minorem. Si Ens transcenderet perseitatem, perseitas diceret Ens, & talem modum ipsius; sed semel, quòd utrumque diceret, esset substantia: ergo. Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, de substantia *ut quod*, negando minorem. Ad probationem distinguo maiorem: Si Ens transcenderet perseitatem, perseitas diceret Ens pro implicito, & talem modum pro explicito, concedo maiorem: diceret tam Ens, quàm modum pro explicito, nego maiorem. Deinde nego minorem, & consequentiam. Quia etsi perseitas dicat Ens, & talem modum, non inde est substantia *ut quod*; siquidem non dicit pro explicito id, quod dicit substantia; substantia enim significatur tanquam

quam ſpecies, in qua perſeitas contrahit rationem Entis, exquo perſeitas ſignificatur tanquam ratio formalis contrahens talem rationem communem Entis.

85 Objicies octavò. Ens non tranſcendit modos contractivos Entis: ergo neque differentias. Probas antecedens. Si Ens tranſcenderet modos contractivos Entis, ſequeretur, quòd Ens, quod per modos dividitur, non eſſet Ens adæquatum; ſed hoc non eſt dicendum: ergo Ens non tranſcendit modos contractivos Entis. Probas ſequelam. Tales modi per ſe ſunt Ens; ſed modi non includuntur in Ente, quod per modos dividitur: ergo ſi Ens tranſcenderet modos contractivos Entis, ſequeretur, quòd Ens, quod per modos dividitur, non eſſet Ens adæquatum. Reſpondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem diſtinguo maiorem: ſequeretur, quòd Ens, quod per modos dividitur, non eſſet Ens adæquatum, ideſt, non includeret actualiter omnia, quæ participant rationem Entis, concedo maiorem: ideſt, non includeretur in omnibus, in quæ dividi poteſt, nego maiorem. Ad probationem diſtinguo maiorem: tales modi per ſe ſunt Ens ſignatum, concedo maiorem: Ens incommuni, nego maiorem. Deinde, conceſſâ minore, diſtinguo conſequens modo dicto. Eſt igitur Ens, quod dividitur, Ens adæquatum, quatenus eſt Ens ab omni Ente abſtractum, & in omni differentia, & modo incluſum.

86 Objicies nonò. Ens non tranſcendit omnes formalitates: ergo neque omnes differentias. Probas antecedens. Aliqua formalitas non eſt Ens: ergo Ens non tranſcendit omnes formalitates. Probas antecedens. Malitia formalis peccati eſt aliqua formalitas; ſed malitia formalis peccati non eſt Ens:

Ens: ergo aliqua formalitas non est Ens: Maior ex se clarescit. Probas minorem. Quidquid est Ens à Deo producitur; sed malitia formalis peccati non producitur à Deo: ergo non est Ens.

87 Respondeo ad objectionem distinguendo antecedens: Ens non transcendit omnes formalitates, tam positivas, quàm privativas, concedo antecedens: omnes formalitates positivas, nego antecedens. Ad probationem, concesso antecedente, & maiore illius probationis de formalitate privativa; & etiam minore, distinguo consequens modo dicto. Unde in sententia Bacconii ponentis malitiam formalem peccati in privativo, facilè solvitur hæc objectio, cætero qui difficilis. Vide tractatum de Distinctionibus disp 4 sectione 1.q.2.in respons ad primum

88 Objicies decimò, & directè contra primum nostræ resolutionis fundamentum. Ad hoc, ut Ens non sit genus, sufficit, quòd includatur in differentiis non ultimis: ergo opus non est, quòd transcendat omnes differentias, tam ultimas, quàm non ultimas. Probas antecedens. Genus petit excludi ab omnibus prorsus differentiis, & non à quibusdam solùm: ergo ad hoc, ut Ens non sit genus, sufficit, quòd includatur in differentiis non ultimis. Respondeo ad objectionem distinguendo antecedens: ad hoc, ut Ens non sit genus adæquatè, sufficit, quòd includatur in differentis non ultimis, concedo antecedens, quod tantùm insinuat illius probatio: ad hoc, ut non sit genus, neque inadæquatè, nego antecedens. Igitur si Ens excluderetur ab aliquibus differentiis, esset genus saltem inadæquatè, quod negat Philosophus, ubi supra citatus, cùm ibidem distinguat Ens à genere, per hoc, quòd genus de nullis prædicetur differentiis; Ens verò è contra.

89 Instabis. Aristoteles ibidem non loquitur

quitur ex propria ſententia, ſed habet ſe merè dubitativè: ergo fundamentum ſup. non eſt firmæ authoritatis. Reſpondeo ad inſtantiam, quòd Philoſophus, tametſi dubitativè ſe habeat loco citato, alibi, nempe 6. Topicorum cap. 3. loquitur ex proprio marte; & cùm authoritates ejuſdem ibi abſolutè pronuncientur, non eſt locus aſſerendi, ipſum tantùm probabiliter procedere. Accedit, quòd Bacconius in hac quæſtione citat illum ubi ſup. allegabatur. Exquo non eſt, cur primum noſtræ reſolutionis fundamentum careat firmâ Philoſophi authoritate. Ariſtotel.

90 Objicies undecimò contra ſecundum ejuſdem reſolutionis fundamentum. Licèt differentiæ habeant eſſe oppoſitum *nihil*, non ſequitur, quòd ſint formaliter Ens: ergo neque, quòd Ens tranſcendat formaliter differentias. Probas antecedens. Licèt habeant eſſe oppoſitum *nihil*, id non habent ratione ſui, ſed ratione illius, cum quo realiter identificantur, ſcilicet Entis: ergo non ſequitur, quòd ſint formaliter Ens. Reſpondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem nego etiam antecedens; quia ſi differentiæ ratione ſui, & ut formalitates contractivæ Entis, non eſſent Ens, eſſent nihil, & per nihil coarctaretur Ens, quod nullus dicet Philoſophus.

91 Objicies duodecimò, & ultimò contra tertium fundamentũ Differentiæ poſſunt objectivè præſcindi ab illo, quod non eſt de illarum conceptu formali; ſed Ens non eſt de conceptu formali illarum: ergo. Maior patet. Probas minorem. Solùm eſt de conceptu formali differentiarum id, per quod ipſæ definiuntur; ſed differentiæ non definiuntur per Ens: ergo. Reſpondeo ad objectionem, conceſſâ maiore, negando minorem. Ad probationem diſtinguo

maio-

maiorem: solùm est de conceptu formali differentiarum id, per quod ipsæ definiuntur, tam explicitè, quàm implicitè, concedo maiorem: id tantùm, per quod explicitè definiuntur, nego maiorem. Quoquo pacto definiantur differentiæ, semper dicunt implicitè Ens, & hoc sufficit, ut Ens sit de illarum conceptu. Ex dictis

92 Deduces, quòd, licèt omnis differentia sit formaliter Ens, non sequitur, quòd aliquod Ens sit formaliter differentia; constat enim ex præcedenti resolutione, Ens habere conceptum præcisum ab omni differentia. Neque ex hoc sequitur, quòd falsificentur regulæ circa propositionum conversiones; nulla enim regula docet, quòd illa propositio, *Omnis differentia est formaliter Ens*, convertatur per istam, *Aliquod Ens est formaliter differentia.* Siquidem ad rectam conversionem, utî suo loco diximus, opus est, quòd prædicatum conversæ fiat subjectum convertentis. Jam verò prædicatum illius, *Omnis differentia est formaliter Ens*, est hoc prædicatum: *definibile per Ens*; quia sic debet exponi: *Omnis differentia est aliquid definibile per Ens*, sive includens Ens in suo conceptu objectivo ad intellectum: cæterùm subjectum alterius, *Aliquod Ens est formaliter differentia*, est hoc subjectum: *Aliquod cognitum, sive cognoscibile, sola expressione, Ens*; quia talis propositio ita exponi debet. Et cùm aliquod cognitum sola expressione, Ens, non sonet idem, ac esse definibile per Ens; nam substantia v. g. sub conceptu substantiæ definibilis est per Ens, non tamen est cognita per solam expressionem, *Ens*; claret igitur prædicatum prioris propositionis non transire in subjectum posterioris, ut requiritur ad rectam conversionem.

Lossada. 93 Sic discurrit P. Ludovicus de Lossada supra

ſupra laudatus, & huic diſcurſui robur accreſcit ex doctrina à nobis tradita in Logica tract. 2. diſp. 3. ſectione 1. q. 2. Itaque, ut converſio procedat juxta regulas, opus eſt, quòd prior illa propoſitio exponatur ſic: *Omnis differentia eſt aliquid definibile per Ens*, quâ expoſitâ, convertens *per accidens* erit hæc: *Aliquid definibile per Ens eſt differentia*, quæ eſt tam vera, quàm converſa. Addit ipſe Loſlada ibidem n. 100 in fine, novum non eſſe, quod aliquæ propoſitiones converti non poſſint, niſi prius exponantur, aut reſolvantur. Placet additamentum; alioquin enim non fieret prædicatum converſæ ſubjectum convertentis, exquo ſæpe non rectè procedunt converſiones, ut monui tractatu 2. Artis Syllogiſticæ diſp. 2. ſectione 1. q. 2. n. 331 ubi aſſignavi conditiones ad veram propoſitionum converſionem requiſitas.



DISPUTATIO II.

De Entis proprietatibus.

SECTIO I.

De Unitate transcendentali.

QUÆSTIO UNICA:

In quo consistat Unitas transcendentalis?

94 RESOLUTIO: Unitas transcendentalis, quæ est prima Entis proprietas, consistit formaliter in positivo. Ita
Baccon. expressè Doctor in 1. dist. 33. q. unica art. 2. quem
Zagaglia. sequuntur omnes ejus discipuli, nominatim Mag.
Blasco. Zagaglia tom. 2. Theologiæ, tract. 2. disp. 2. sectio-
Garcia ne 1. §. 1. Mag. Blasco tom. 1. Philosophiæ, l. 4. dist.
De Castil. 13. q. 2. art. 1. §. 2. Mag. Garcia dist. 1. Metaph. q.
Ponce 6 articulo 2. §. 3. Mag. de Castilla tom. 1. Theolo-
Bacca. giæ, tractatu 2. q. 11. num. 353. Mag. Ponce Bacca in
Ant. Andr Metaph. nuper in lucem edita, disp. 3. q. 1. Tenent
Zerba. etiam resolutionem Scotistæ Antonius Andreas,
Faber. Zerb. Faber, Tartar. Meruisf. Vulpes, Trombeta,
Tartar. & alii cum Subtili Doctore, quos citat, & sequitur
Meruiss. Mastrius disp. 5. Metaph. q. 4. art. 1. n. 43. Senten-
Vulpes. tiam nostram probabiliorem censet P. Vasques tom.
Tromb. 2. disp. 128. cap. 2. n. 3. ubi pro eâdem citat D. Bo-
Mastrius. namventuram, Alexandrum, & Scotum, eamdem-
Vasques. que probat ex Aristotele 10. Metaph. cap. 5. Ad
D.Bonav. plenam resolutionis intelligentiam, aliqua oportet
Alexand.
Scotus.
Aristot.

præ-

prænotare, tam circa proprietates Entis in communi, quàm circa Unitatem in particulari. Igitur

95 Prænoto primò adversùs Aureolum, & Sequaces ejus, Ens habere veras proprietates, sive passiones, aut attributa; cùm enim omnis scientia realis demonstret veras passiones sui objecti (nota valde) oportet, quòd Ens objectum Metaphysicæ habeat veras proprietates, sive passiones, quæ ab ipsa Metaphysica demonstrari possint. Sunt ergo proprietates, sive passiones, aut attributa Entis, Unitas, Veritas, & Bonitas, quæ subterfugiunt conceptum Entis, quia etiamsi Unum, Verum, & Bonum sint idem convertibiliter cum Ente, differunt tamen præfatæ proprietates ab illo formaliter, non in esse absoluto, ut volunt Scotistæ, sed in esse respectivo, sive relativo ad intellectum, ut docent cum Resoluto candidiores Bacconistæ. Verùm de hoc redibit sermo in calce quæstionis.

96 Prænoto secundò, aliam esse unitatem solitudinis, aliam Unitatem transcendentalem. Unitas solitudinis est illa, quæ absolutè excludit consortium plurium, sive pluralitatem; sic Deus est unus solitariè, & Sol etiam ita dicitur unus. Deus enim taliter est unus, quòd excludit consortium alterius Dei. Sol ita est unus, quòd non detur pluralitas Solis. Unitas transcendentalis, de qua in præsenti agimus, illa est, quæ etsi non excludat absolutè consortium plurium, sive pluralitatem, ut patet in specie humana Una non excludente pluralitatem specierum sub eodem genere animalis, excludit tamen divisionem in plura se, idest, in plura, quæ non sint adæquatè idem cum illa. Ad maiorem intelligentiam

97 Prænoto tertiò, Unitatem transcendentalem non excludere per se partium distinctionem, sed

posse compati cum distinctione partium. Sic homo est Unus homo, & tamen habet partes distinctas; & similiter quodlibet compositum Unum. Unde quanvis Unum, & multitudo opponantur, non tamen Unitas transcendentalis, & partium multitudo. Excludit quidem Unitas transcendentalis partium divisionem, quia si homo esset actu divisus in suas partes, certò non jam esset homo, nec Unus homo. Sic de quolibet composito dicendum. Audiendus Bacconius in 1. dist. 33. q. unica art. 2. §. 3. in principio: *Ad declarationem præmissorum est intelligendum, quòd cùm dicimus aliquid esse unum, ly unum non* (semper) *dicit rem esse simplicem, vel indivisibilem in quantum est res, sed in quantum est una. Ulna enim dicitur metrum unum, non tamen est res simplex, sed multas habens partes, sed dicitur res simplex, inquantum unum est mensura, cui non potest fieri additio, vel diminutio. Si enim aliqua pars addatur, vel diminuatur ab ulna, jam non est ulna, sed quædam alia mensura.*

Baccon.

98 Prænoto quartò, quòd, quanvis non reperiatur Unitas transcendentalis ubi datur partium divisio, non sufficit, quòd non detur divisio partium, ut reperiatur Unitas transcendentalis. Nam in uno per aggregationem non datur divisio partium, siquidem hæ sunt ibi conjunctæ, & tamen ibi non reperitur Unitas transcendentalis; hæc quippe propria est Unius Entis perse. Oportet igitur, ut talis Unitas reperiatur in compositis, quòd non detur divisio partium, & ultra, quòd hæ habeant proportionem, & uniantur per se. Dixi, *in compositis*, quia Ens indivisibile, & simplex est propriè Unum, & tamen nulla datur proportio in suis partibus, ut uniantur, cùm careat ipsis. His attentè prænotatis,

99 Probo resolutionem, & primò sic: In omni

omni divisione imperfectior differentia consistit formaliter in negativo, vel privativo, & perfectior in positivo; sed Ens dividitur in Unum, & multa: ergo multitudo, quæ est imperfectior, consistit formaliter in negativo, vel privativo, & Unitas, quæ est perfectior, consistit formaliter in positivo. Discursus est Bacconii, quem infra à n. 133. usque ad n. 136. pro viribus explanamus Confirmo ex Aristotole 10. Metaph. cap. 5. textu 12. ubi non modò dividit Ens in Unum, & multa, sed addit, quòd idem, & diversum ita opponantur, ibi: *Aut enim unum, aut non unum natura aptum ens. Diversum igitur, & idem ita opponuntur.* Sed diversum, & idem taliter opponuntur, quòd diversum consistat formaliter in negativo, utî haud inefficaciter ostendimus, loco proximè citato, & identitas consistat formaliter in positivo, ut ex eodem Bacconio probavimus in Compendio pro Diverso, & Eodem disp. 5. sectione 1. ergo Unitas, & multitudo ita opponuntur, quòd multitudo consistat formaliter in negativo, & Unitas in positivo. Baccon. Aristotel.

100 Secundò sic: Unitas transcendentalis definitur per indivisionem, quæ contradictoriè opponitur divisioni; sed divisio consistit formaliter in negativo: ergo, econversò, Unitas transcendentalis, sive indivisio, consistit formaliter in positivo. Maior est certa, etiam in sententia Adversariorum; omnes enim conveniunt, quòd Unitas sit *indivisum in se*, ut docet Aristoteles l. 1. Metaph. cap. 5. in principio. Probo minorem. Divisio nihil aliud est, quàm Unitatis negatio, sive privatio: ergo divisio consistit formaliter in negativo, ac per consequens Unitas in positivo. Aristotel.

101 Tertiò sic: Modi, sive species, aut membra, in quæ Unum dividitur, important formaliter

maliter positivum: ergo & Unitas transcendentalis. Consequentia liquet; quia quando membra dividentia sunt positiva, etiam ipsum divisum est positivum. Probo antecedens. Modi, sive species, aut membra multitudinis, important formaliter negativum, sive privativum, nempe diversum, dissimile, inæquale, discontinuum &c. ergo, ex opposito, modi, sive species, aut membra, in quæ Unum dividitur, videlicet idem, simile, æquale, continuum &c. important formaliter positivum. Igitur stat resolutio, quòd Unitas transcendentalis consistat formaliter in positivo. Hoc fundamentum, cui magnum robur accrescit ex infra dicendis in appendicio, est primum, & præcipuum, quo in hac quæstione utitur Mag. Dionysius Blasco, & mirum est, quòd Vir, sanè doctissimus, immemor præfatæ doctrinæ, ponat distinctionem formaliter in positivo!

Blasco.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

102 NOstræ resolutioni opponuntur communiter Thomistæ, duce Angelico, Durandus, Gabriel, Capreolus, Gregorius, & Henriq. affirmantes formalem rationem Unitatis esse negationem, seu privationem divisionis. Omnes citat, sed non sequitur Vasques tom. 2. disp. 128. cap. 1. quam sententiam tenent ex nostris Mag. Bona Spes Metaph. tractatu ultimo disp. 2. dubio 1. & Mag. Daniel à D. Josepho de Deo Uno disp. 6. cap. 2. Ex Jesuitis Suarius Gran. disp. 4. Metaph. sectione 1. n. 6. Lusitanus tractatu 1. Metaph. disp. 1. sectione 3 n. 41. Arriaga ibidem disp. 1. sectione 3. subs. 3. dicens, hanc esse inter RR. communem. Pro his ergo

D.Thom. Durand. Gabriel. Capreol. Gregor. Henriq. Vasques. BonaSpes Daniel. Suarius Gran. Suar. Lusitanus. Arriaga.

103 Objicies primò. Aritoles l. 5. Metaph. cap.

cap. 6. & l. 10.cap. 5. Unum docet esse negationem, aut privationem divisionis: ergo resolutio non est Aristotelica. Respondeo ad objectionem disting. antecedens: Unum docet esse negationem, aut privationem, quoad famositatem nominis, concedo antecedens: formaliter, nego antecedens, & consequentiam. Quia Philosophus, præfatis locis, solùm explicat Unitatem per conceptus, qui quoad modum significandi sunt negativi, aut privativi, non formaliter, & in rei veritate. Ut liquet in immortali, irrationali, & cæteris, qui sunt formaliter conceptus positivi, licèt sonent negationem, aut privationem.

104 Objicies secundò. In eo consistit formaliter Unitas transcendentalis, quo posito, vel sublato (omni alio circunscripto, vel posito) ponitur, vel tollitur ipsa Unitas; sed, privatione multitudinis sublatâ, (cæteris positis) tollitur ipsa Unitas transcendentalis: ergo Unitas transcendentalis consistit formaliter in privatione. Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem: quo præcisè posito, vel præcisè sublato, ponitur, vel tollitur ipsa Unitas, concedo maiorem: aliter, nego maiorem, minorem, sub distinctione datâ, & consequentiam. Quia idcirco deficit Unitas transcendentalis, deficiente privatione multitudinis, quia talis privatio non potest deficere, nisi deficiat illud positivum Unitatis, in quo fundatur.

105 Objicies tertiò. Dividere Unum in multa est idem ac reducere multa de non esse in actu ad esse in actu, sive de potentia ad actum; ut patet in divisione continui, in quo partes ante divisionem sunt in potentia, post divisionem sunt in actu; sed quod non est in actu, & potest se habere, habet se privativè respectu actûs: ergo Unitas con-

Mastrius. consistit formaliter in privatione. Respondet Mastrius num. 79. in fine, ubi sup. citatus, quòd partes continui, ut Unum totum constituunt, non carent quacumque actualitate, quia in continuo sunt in actu existentiæ, quapropter, inquit, neganda est consequentia, videlicet, quòd Unitas consistat in privatione. Solutio vera est, sed non planè satisfacit argumento, quod ita urgebunt Adversarii:

106 Quando Unum dividitur in multa, etsi Unum non reducatur absolutè de non esse ad esse, nihilominus reducitur de non esse actu divisum formaliter ad esse actu formaliter divisum: ergo Unitas importat formaliter privationem divisionis. Probabunt antecedens. Quando Unum dividitur in multa, reducitur de esse actu indivisum formaliter ad esse actu formaliter divisum; sed esse actu indivisum formaliter est esse actu formaliter non divisum: ergo quando Unum dividitur in multa, etsi Unum non reducatur absolutè de non esse ad esse, nihilominus reducitur de non esse actu divisum formaliter ad esse actu formaliter divisum. Respondeo igitur ad objectionem sic propositam negando antecedens. Ad probationem, concessâ maiore, nego minorem. Quia esse formaliter indivisum est formaliter positivum, non minus, ac esse formaliter immortale, irrationale, &c. esse verò formaliter non divisum importat formaliter negativum, sive privativum. Hoc discrimen observavit etiam Arriaga subsectione 2. n. 37. ubi sup. allegatus.

Arriaga. 107 Objicies quartò ex eodem Arriaga. Ad constituendam Unitatem debent auferri entitates: ergo Unitas transcendentalis consistit formaliter in carentia multitudinis. Probas antecedens. Ad constituendam multitudinem debent poni entitates: ergo ad constituendam Unitatem debent auferri entitates.

titates. Probas antecedens. Quo plus additur, eo maior redditur pluralitas: ergo ad conſtituendam multitudinem debent poni entitates. Reſpondeo ad objectionem diſtinguendo antecedens: ad conſtituendam unitatem ſolitudinis debent auferri entitates, concedo antecedens: ad conſtituendam Unitatem tranſcendentalem, ſubdiſtinguo: ſumptâ Unitate materialiter, concedo antecedens: ſumptâ formaliter, nego antecedens, & conſequentiam. Ad probationem antecedentis diſtinguo ſimiliter antecedens: ad conſtituendam multitudinem oppoſitam unitati ſolitudinis, debent poni entitates, concedo antecedens: ad conſtituendam multitudinem oppoſitam Unitati tranſcendentali, ſubdiſtinguo: ſumptâ multitudine materialiter, concedo antecedens: ſumptâ formaliter, nego antecedens, quin obſtet ejus probatio vera.

108 Unde, ut ex ſuperioribus conſtat, alia eſt unitas ſolitudinis, alia tranſcendentalis. Unitas ſolitudinis, cùm ſit unitas, quâ res dicitur ſolitaria, & carens conſortio alterius, nihil mirum, quòd ad ſui conſtitutionem requirat, quòd debeant auferri entitates, alioqui jam non eſſet unitas ſolitudinis. Aſt Unitas tranſcendentalis, de qua agimus, ſolùm materialiter ſpectata id requirit, non autem formaliter ſumpta, quia formaliter ſtare poteſt cum conſortio entitatum, ſive partium; non enim à ſubjecto Uno excluditur diſtinctio partium, ut etiam liquet ex ſupra dictis. Similiter de multitudine proportionali modo diſcurrendum.

109 Objicies quintò ex eodem Arriaga, & Arriaga.
directè contra reſolutionem. Unitas tranſcendentalis eſt formaliter non diviſio; ſed non diviſio non eſt quid poſitivum: ergo Unitas tranſcendentalis non conſiſtit formaliter in poſitivo. Maior liquet

ex eo, quòd multitudo consistit formaliter in divisione; divisione quippe positâ, vel sublatâ, ponitur, vel tollitur multitudo, ex quo illius oppositum, nempe Unitas, debet esse formaliter non divisio. Probas minorem. Non divisio competit realiter chimæræ: ergo non est quid positivum. Probas antecedens. Verum est dicere, *Chimæra realiter non est divisa*: ergo non divisio competit realiter chimeræ. Probas antecedens. Falsum est dicere, *Chimæra realiter est divisa*: ergo verum est dicere, *Chimæra realiter non est divisa.* Antecedens patet. Probas consequentiam. Ex duobus contradictoris unum debet necessariò convenire chimæræ, & enti negativo, independenter ab intellectu; ex eo enim, quòd legere, & non legere sint contradictoria, necessariò unum ex illis de chimæra prædicatur, unde est verum dicere, *Chimæra realiter non legit*; sed illæ propositiones, *Chimæra realiter non est divisa*, *Chimæra realiter est divisa*, sunt contradictoriè oppositæ: ergo, si falsum est dicere, *Chimæra realiter est divisa*, verum est, dicere, *Chimæra realiter non est divisa.*

Oviedus. 110 Miratur Oviedus, Metaph. controversia 3. puncto 1. § 5 n. 43. quòd Arriaga Author acutus hoc argumento dicipiatur. Sed mirabilius est, quòd ita loquatur Oviedus, quin objectioni Arriagæ satisfaciat. Respondet enim, quòd, quando dicimus, *Chimæra non est divisa*, absque inconvenienti prædicamus de illa per modum negationis prædicatum positivum rationis. Verùm cùm Arriaga ponat in argumento particulam illam, *realiter*, idcirco recursus Oviedi ad rationem tantùm nullius momenti est, nec difficultatem solvit.

Mastrius. 111 Mastrius disp. 5. Metaph. q. 4. art. 3. n. 77. versu *Ad primum*, docet, quòd quisque occurret

curret facilè argumento integro cum ſua replica advertendo, quòd eſtò nullum detur medium inter contradictoria abſolutè ſumpta, tamen dari poſſit inter contradictoria ſumpta incomplexè, in propoſitionibus cum aliquo ſyncategoremate. Nam (inquit) ſicut in iſta propoſitione, *Homo per ſe in primo modo vel eſt albus, vel non albus*, neutra pars eſt concedenda, cùm tam albedo, quàm ejus negatio ſint prædicata prorſus accidentalia, & prædicatum, *per ſe*, non appellet, niſi ſupra prædicata eſſentialia; ita in propoſitione, *Chimæra realiter eſt diviſa, vel non diviſa*, neutra pars concedi debet, quia diviſum, & non diviſum realiter ſunt prædicata realia, quæ applicari nequaquam poſſunt Chimæræ. Hæc ſolutio etiam patitur inſtantiam; quia prædicatum reale, licèt non poſſit applicari enti rationis per affirmationem, tamen verè poteſt de illo negari, ut patet in iſta, *Chimæra non eſt aliquid reale.* Quare non eſt, cur non ſit etiam vera alia, *Chimæra realiter non eſt diviſa,* tametſi non diviſum ſit prædicatum reale. Igitur ad objectionem propoſitam

112 Reſpondeo negando maiorem. Quia Unitas tranſcendentalis ſolùm eſt formaliter indiviſio, quæ eſt aliquid poſitivum, non autem non diviſio, quæ negativum formaliter importat, quapropter de Chimæra dici non poteſt, quòd ſit realiter indiviſa, ſic enim prædicaretur de illa prædicatum poſitivum; dici autem poteſt, quòd realiter non ſit diviſa, quia, quòd negetur de illa prædicatum reale, non eſt inconveniens. Nec obſtat inſinuata probatio, videlicet, quòd multitudo Unitati oppoſita dicat formaliter diviſionem, non enim ſequitur, quòd Unitas importet non diviſionem, quoniam Unum, & multa non contradictoriè, ſed privativè

vativè opponuntur, vel etiam contrariè, eo pacto, quo infra explicamus n. 147. quòd si Unitas, sive Unum, definiri solet non tam per hoc, quod sit *indivisum in se*, sed etiam divisum *à quolibet alio*, tamen ista additio necessaria non creditur ad Unitatem definiendam, ut benè notavit Lossada disp. 1. Metaph. n. 133. eò quòd divisio fundetur in illa indivisione tanquam sequela ipsius.

Lossada.

113 Objicies sextò, & ultimò. Si Unitas transcendentalis consisteret formaliter in positivo, non esset proprietas, sive passio Entis; sed est, ut ex superioribus constat: ergo Unitas transcendentalis non consistit formaliter in positivo. Probas sequelam. Si Unitas transcendentalis consisteret formaliter in positivo, esset formaliter Ens; sed si esset formaliter Ens, non esset proprietas, sive passio Entis: ergo si Unitas transcendentalis consisteret formaliter in positivo, non esset proprietas, sive passio Entis. Maior liquet. Probas minorem. Nihil potest esse proprietas, sive passio sui ipsius: ergo si Unitas transcendentalis esset formaliter Ens, non esset proprietas Entis.

114 Respondeo ad objectionem negando maiorem. Ad probationem distinguo maiorem: esset formaliter Ens in concreto, concedo maiorem: esset formaliter Ens in abstracto, vel Ens in statu præcisionis, nego maiorem, &, applicatâ distinctione minori, nego consequentiam. Ad probationem minoris distinguo antecedens: nihil potest esse proprietas, seu passio sui ipsius, sumptum in eâdem linea, & sub eâdem consideratione, concedo antecedens: sumptum in diversa linea, & consideratione, nego antecedens. Verum est, quòd Unitas & Ens sunt una simplex essentia & formalitas, præciso ordine ad intellectum, eo proportionali modo,

modo, quo ſuo loco diximus contra Scotum, Attributa Divina eſſe idem, formaliter etiam, & non tantùm phyſicè, cum eſſentia. Aſt quatenus Unitas, & Ens comparantur ad noſtrum intellectum, diſtinguuntur formaliter ex natura rei, non ſumpto Ente in concreto, quia ita accepto, quanvis Ens diſtinguatur ab Unitate, Unitas non diſtinguitur ab Ente, ut ſupra docuimus ex Bacconio, ſed accepto Ente in abſtracto, & ſecundùm conceptum præciſum; quia Ens ita præciſum ſolùm dicit prædicata eſſentialia Entis ſecundùm ſe, quatenus non repugnat eſſe. Unitas verò non dicit conceptum Entis præciſi, nec abſtracti, quanvis dicat formaliter conceptum Entis contracti. Unde verum eſt dicere, *Unitas formaliter intentionaliter eſt Ens*; falſum verò, *Unitas formaliter intentionaliter eſt Entitas præciſa*, ſeu *Ens præciſum*, exquo non eſt, cur Unitas non ſit vera Entis proprietas, tametſi importet aliquid poſitivum. Ex dictis

115 Deduces, Unitatem importare de ſui ratione eſſe conceptum ſecundarium conſequentem eſſentiam Entis conſtitutam in ſuo eſſe. Idem dicendum de Veritate, & Bonitate tranſcendentali; quippe (quidquid Thomiſtæ, Jeſuitæ, & plures Scotiſtæ reclament) Unitas, Veritas, & Bonitas ſunt veræ, & rigoroſæ Entis proprietates, juxta Bacconium. Nec alioquin Metaphyſica vera, & rigoroſa ſcientia eſſet; proprium enim eſt ſcientiæ proprietates, ſive paſſiones veras, ſui objecti demonſtrare, utî diximus in Procemio. De hoc pulchrè, ubertim, & validè Mag. Zagaglia tom. 2. tract. 1. diſp. 2. ſect. 3 §. 2.

APPEN-

APPENDICIUM

Pro Constitutivo formali Distinctionis, juxta veram Bacconii mentem, adversùs recentes Bacconistas.

116 DE hoc Constitutivo egi in opusculo, quod primitùs edidi sub titulo: *Compendium Philosophico-Theologicum pro Diverso, & Eodem*, disp. 1. sectione 1. q. unica, ubi, ex mente Resoluti, Distinctionem dixi consistere formaliter in negatione identitatis, juxta textum ejusdem Doctoris ibidem allegatum, de quo infra redibit sermo. Dixi etiam eodem loco: *Quidquid garrulent moderni Bacconistæ*; siquidem omnes, quos novi in nostro Conimbricensi Collegio, & in Conventibus ad studia deputatis, Distinctionem sitam esse in ipsamet positiva rei entitate docuerunt, parùm curando de mente Antesignani, fortassè, quia ipse non disputat expressè de Constitutivis Distinctionis, & identitatis, sed tantùm de Constitutivis unitatis, & multitudinis.

117 Ego verò, qui, ingenti ardore, ad Bacconicam doctrinam elucidandam incumbui, summa ope curavi legitimam, veramque ejusdem Resoluti mentem investigare, & compositò circa præsentem materiam, quam primiter meis auditoribus dictavi. Ex iis ergo, quæ idem Doctor docet in 1. dist. 33. q. unic. art. 2. §. 4. vers. *Item hæc est*, & ibidem vers. *Ad propositum*, fundamen habui procedendi adversùm juniores Bacconistas, & constituendi Distin-

Baccon.

Distinctionem in negativo; ibi quippe vers. *Item*, inquit Doctor: *Certum est, quod diversum, dissimile, & inæquale sunt privationes, & in rei veritate privatio unitatis*. Quæ quidem verba satis admodùm declarant, Distinctionem non in ipsa rei entitate, benè quidem in carentia identitatis consistere, ex mente nostri Doctoris.

118 Pro hac opinione adduxi aliqua fundamenta ab ipsamet ratione exerta, quorum pondere nonnulli pressi, à sententia communi in nostram ultrò descivere. Verùm non pauci sunt, qui adhuc pertinaciter insistunt pro positivo, & ita rigidi, ut nequaquam vellint à præfata sententia deflectere, putantes se satisfacere fundamentis nostris, præsertim primo, & principali, cui varias applicant solutiones. Quapropter operæ pretium existimavi, ipsos pro viribus refellere, & veram doctrinam Bacconicam hoc in appendicio stabilire.

119 Primum igitur fundamentum, quo usus fui in Compendio sup. allegato, sic se habet: Quotiescumque desinit aliquid, præcisè ablatâ tali formalitate, id in ea formaliter consistit; atqui, præcisè ablatâ negatione identitatis, tollitur Distinctio: ergo in negatione identitatis Distinctio formaliter consistit. Maiorem tanquam certam supposui. Minorem verò sic probavi: Si ex hac propositione, *Homo non est leo*, præcisè tollatur negatio, tollitur Distinctio: ergo. Probavi antecedens. Si ex præfata propositione præcisè tollatur negatio, manet identitas subjecti cum prædicato: ergo tollitur Distinctio. Probavi etiam hoc antecedens evidenter. Si ex hac propositione præcisè tollatur negatio, manet hoc modo propositio: *Homo est leo*; sed verbum, *est*, identificat subjectum cum prædicato: ergo si ex præfata propositione præcisè tollatur

latur negatio, manet identitas ſubjecti cum prædicato. Igitur &c.

120 Ad hoc fundamentum, quod eſt ſatis efficax ad propoſitum, adhuc præſcindendo à textibus Reſoluti noſtri, reſpondent recentes Bacconiſtæ, quòd, ablatâ negatione identitatis hominis cum leone, manet identitas falſa, non identitas vera; &, cùm ſola identitas vera pugnet cum diſtinctione, non identitas falſa, idcirco homo diſtinguitur formaliter à leone, adhuc negatione ablatâ. Hæc illi. Aſt difficultatem non leniunt.

121 Argumentor ita: Si, ablatâ negatione identitatis inter hominem, & leonem, maneret identitas falſa, maneret negatio identitatis veræ; ſed hoc manifeſtè repugnat, ut ſtatim probabo: ergo & quòd maneat identitas falſa inter hominem, & leonem, ablatâ negatione identitatis inter utrumque. Probo aſſumptum. Si, ablatâ negatione identitatis inter hominem, & leonem, maneret identitas falſa, non maneret identitas vera; ſed, ſi non maneret identitas vera, maneret negatio identitatis veræ: ergo ſi, ablatâ negatione identitatis inter hominem, & leonem, maneret identitas falſa, maneret negatio identitatis veræ.

122 Maior liquet. Probo minorem. Ubi non datur identitas vera, datur non identitas vera; ſed non identitas vera eſt negatio identitatis veræ: ergo, ſi non maneret identitas vera, maneret negatio identitatis veræ. Maior eſt certa, loquendo de ſubjectis ſupponentibus. Probo minorem. Ly, *non*, eſt negatio: ergo non identitas vera eſt negatio identitatis veræ, quæ certò maneret inter hominem, & leonem, manente identitate falſâ inter utrumque.

123 Modò oſtendam repugnantiam in eo, quòd

quòd inter hominem, & leonem maneat negatio identitatis veræ, ablatâ negatione identitatis inter utrumque. Manifestè repugnat, quòd maneat negatio identitatis veræ inter extrema, ablatâ ab ipsis negatione identitatis veræ; atqui, ablatâ negatione identitatis inter hominem, & leonem, tollitur negatio identitatis veræ: ergo manifestè repugnat, quòd inter hominem, & leonem maneat negatio identitatis veræ, ablatâ negatione identitatis inter utrumque; ac per consequens implicatorium est, quòd, ablatâ negatione identitatis inter hominem, & leonem, maneat identitas falsa.

124 Maior ex se clarescit. Probo minorem. Negatio identitatis inter hominem, & leonem est negatio identitatis veræ; ergo, ablatâ negatione identitatis inter hominem, & leonem, tollitur negatio identitatis veræ. Probo antecedens efficaciter. Ista propositio, *Homo non est leo*, facit hunc sensum: *Homo non habet veram identitatem cum leone*: ergo negatio identitatis inter hominem, & leonem est negatio identitatis veræ. Probo antecedens. Talis propositio est vera; sed vera non esset, si non faceret præfatum sensum; nam si sensus esset iste: *Homo non habet falsam identitatem cum leone*, profectò esset falsa propositio: ergo talis propositio facit hunc sensum: *Homo non habet veram identitatem cum leone*; ac per consequens negatio identitatis inter hominem, & leonem est negatio identitatis veræ; quapropter, sublatâ tali negatione, necessariò manet identitas vera, quæ cum Distinctione pugnat. Ex quibus iterum contra præfam solutionem

125 Sic argumentor: Sublatâ negatione identitatis inter hominem, & leonem, manet identitas vera: ergo tollitur Distinctio. Probo antecedens. Sublatâ negatione identitatis inter hominem,

& leonem, manet eademmet identitas, quam negatio negabat in hac propositione, *Homo non est leo*; sed identitas, quam in hac propositione negabat negatio, erat identitas vera: ergo hæc eadem identitas manet, sublatâ tali negatione. Maior patet ex eo, quia, ablatâ tantùm negatione, remanent cætera, præter negationem: ergo manet eademmet identitas (significata per verbum, *est*,) quam negatio negabat in hac propositione, *Homo non est leo.*

226 Probo minorem. Identitas, quam in hac propositione, *Homo non est leo*, negabat negatio, erat eademmet identitas, quæ, ablatâ negatione, affirmatur per propositionem, *Homo est leo*; sed identitas, quæ, ablatâ negatione, affirmatur per propositionem, *Homo est leo*, est identitas vera: ergo etiam identitas, quam in hac propositione, *Homo non est leo*, negabat negatio. Probo maiorem. Hæ propositiones, *Homo est leo*, *Homo non est leo*, sunt contradictoriæ: ergo opus est, quòd una neget id ipsum, quod altera affirmat: ergo si ista, *Homo est leo*, affirmat, seu significat veram identitatem leonis cum homine, eandem negabat negatio in altera, *Homo non est leo.*

227 Quod autem (ablatâ negatione) propositio, *Homo est leo*, quæ remanet, affirmet, seu significet veram identitatem leonis cum homine, patet ex eo, quia in tantùm talis propositio non affirmaret, seu significaret veram identitatem leonis cum homine, in quantum leo adhuc esset formaliter distinctus ab homine; sed, negatione ablatâ, ut supponitur, non esset distinctus formaliter ab homine: ergo, negatione ablatâ, propositio, *Homo est leo*, affirmaret, seu significaret veram identitatem leonis cum homine. Probo hanc minorem, in qua tantùm est difficultas. Si leo, adhuc negatione ablatâ, esset formaliter distinctus ab homine, id haberet per suam entitatem positivam, ex-

qua

qua esset formaliter alius ab homine; atqui, sublatâ negatione, non esset formaliter alius ab homine, bene verò idem cum illo; alioqui enim verus sensus illius propositionis, *Homo est leo*, (quæ tantùm remanet, negatione ablatâ) esset hic: *Leo est alius formaliter ab homine*, ex quo, econversò, sensus contradictoriæ, nempe istius, *Homo non est leo*, hic esset: *Leo non est formaliter alius ab homine*; utrumque autem aberrare à genuino præfatarum propositionum sensu, nemo erit, qui revocare possit in dubium. Igitur sicut, sublatâ negatione ab illa propositione, *Homo non est leo*, remanet propositio affirmativa, *Homo est leo*. Ita in rei veritate remanet identitas, negatione ablatâ, ac per consequens inconcussum manet primum illud fundamentum, quod Recentes excogitaverunt labefactare.

128 Et insuper confirmari potest ex Resoluto Doctore in 3. dist. 9. q. unic. art. 2. §. 2. vers. Baccon. *Item data*, dicente: *Veritas cujuscumque propositionis dependet ab unitate rei significatæ per prædicatum ad rem significatam per subjectum; ex eo enim, quod res est &c. In prædicamentis cap de substantia in fine. Unde identitas rei ad rem est causa propositionis in veritate in affirmatione, & diversitas rei est causa falsitatis in affirmatione, & veritatis in negatione.* Reliqua, quæ Recentes adversùs alia fundamenta adducunt, non vacat pro merito refellere. Accedit, quòd præcipuus hujus appendicii scopus est manifestare germanam mentem Bacconii. Neque enim dico, contrariam sententiam probabilitate carere, sed tantùm contendo demonstrare improbabilem esse in via ejusdem * Resoluti Doctoris, quod sic ostendo:

229 Doctor, loco sup citato, vers. *Item hæc est intentio Philosophi*, expressè docet, quòd, Baccon. *diversum*, sit *in rei veritate privatio unitatis*; at-

qui per ly, *diversum*, intelligit *distinctum*, per ly, *in rei veritate*, intelligit, *formaliter*, & per ly, *privatio unitatis*, intelligit privationem, carentiam, sive negationem, non tantùm unitatis, sed & identitatis: ergo juxta Doctorem Distinctio pro formali importat negationem identitatis. Maior constabit legenti ipsum Bacconium, ubi sup. Minor habet tres partes, quas si ego probavero, opinionem Recentium alienam esse à germana Bacconii mente, nemo erit, qui ambigat. Probo primam partem sic: Doctor per ly, *diversum*, intelligit oppositum *eidem*; sed oppositum *eidem* est *distinctum*: ergo Doctor per ly, *diversum*, intelligit *distinctum*. Probo maiorem ex eodem Doctore, ibidem, ubi assignando modos, sive species unitatis, nempe identitatem, simile, & æquale, per hæc verba: *Idem, simile, & æquale*, docet, quòd istorum opposita sunt *diversum, dissimile, & inæquale*: ergo per ly, *diversum*, intelligit oppositum *eidem*, nempe *distinctum*. Hæc docet ex Philosopho l. 10. Metaph. textu 10. sic locuto: *Unius quidem est idem, simile, & æquale; multitudinis verò diversum, dissimile, & inæquale est*. Nec est, cur in hoc amplius immoremur; cùm certum sit, nomen, *diversum*, &, *distinctum*, in idem collimare. Quapropter AA. de Distinctione, & Identitate differentes, agere dicunt de Diverso, & Eodem. Quòd si Personæ Divinæ non dicuntur diversæ, licèt sint distinctæ, id ex eo provenit, ne diversitas appellet supra Naturam; si enim ad Relationes referatur, non est, cur non dicantur diversæ, sicut distinctæ.

Aristotel.

130 Probo secundam partem ejusdem minoris sic: Doctor utitur termino, *in rei veritate*, contrapposito illis, *secundùm nominis famositatem, secundùm vulgarem explicationem*; atqui terminus hisce terminis contrapositus est terminus, *formaliter*,

liter, ut fatentur omnes: igitur Doctor per ly, *in rei veritate*, intelligit, seu accipit terminum, *formaliter.* Maior constat ex doctrina, & verbis ejusdem Doctoris infra relatis n. 133. Minor est unanimis Philosophorum consensus. Consequentia ex se claret.

131 Probo tandem eamdem minorem, quoad tertiam partem, dequa est maior difficultas, nempe, quòd per ly, *privatio unitatis*, intelligat Doctor privationem, carentiam, sive negationem, non tantùm unitatis, sed & identitatis. Doctor, ubi sup. duo docet ex doctrina Philosophi. Primum, quòd *idem*, *simile*, *&* *æquale* sint modi, sive species unitatis, & quòd opposita, nempe, *diversum*, *dissimile*, *&* *inæquale*, sint modi, sive species multitudinis ibi: *Textu* 10. *dicit* (Philosophus) *unum*, Baccon. *& multum opponuntur sic, quod idem, simile, & æquale sunt propria uni, & opposita his, scilicet diversum, dissimile, & inæquale sunt propria multitudini.* Secundum, quòd opposita illis, nempe *eidem*, *simili*, *&* *æquali*, videlicet, *diversum*, *dissimile*, *&* *inæquale*, sint privationes, ita quòd quodlibet istorum oppositorum sit in rei veritate privatio unitatis, ibi: *Sed certum est, quòd diversum, dissimile, & inæquale sunt privationes, & in rei veritate privatio unitatis.*

132 Tum sic: quodlibet ex istis, *diversum*, *dissimile*, *&* *inæquale*, est in rei veritate, juxta Doctorem, privatio sui oppositi, sed (etiam juxta eumdem Doctorem ex Philosopho ubi sup.) oppositum *diversi* est idem: ergo quando Doctor docet, quòd *diversum* in rei veritate (idest distinctum formaliter) est privatio unitatis, per ly, *privatio unitatis*, intelligit privationem, sive negationem non modò unitatis, sed & identitatis. Sic intelli-

intelligendus est Bacconius; & ita eum interpretantur Expositores doctissimi quidem, & circa mentem ejusdem valde soliciti, significanter Mag. Silvestranus in primum sententiarum, ubi Resolutum egregiè illustrat; ibi enim, lectione septuagessima octava, docet ex eodem, unitatem, & identitatem consistere in positivo, eò quòd opposita importent privativum. *Nam* (inquit) *sicut oppositum in opposito: ita propositum in proposito. Sicuti nigrum congregat: sic album disgregat visum. Si opposita unius dicunt privationem, ita unum dicendo positionem.* Mag. Zagaglia tom. 2. tractatu 2. disp. 2. sectione 1. §. 2. ubertim de hac re disserens; sed clariùs tom. 4. tractatu 2. disp. 7. sectione 1. num. 8. ibi: *Dico, quòd distinctio ut sic consistit in negatione.* Mag. Garcia Metaph. dist. 1. q. 6. art. 2. § 3. n. 239. in fine, dicens: *Earum opposita* (unitatis, & specierum ejusdem:) *nempe, diversum, inæquale, & dissimile stant in carentia unitatis.* Et Mag. de Castilla tom. 1. Cursus Theolog. tractatu 2 q. 3 n. 46. ibi: *In quo consistat Distinctio clarè constabit attentè legenti Resolutum in 1. &c. Ubi satis insinuat, quomodo se habeant unum, & plura: sed unum, asserit, consistere in positivo quo, & plura in negativo: ergo distinctio pro formali negationem dicit ex mente Doctoris.*

Silvestr. Zagaglia. Garcia. De Castil.

133 Sed quoniam disp. 5. ejusdem Compendii probavi, identitatem consistere in positiva rei entitate, concorditer ad illa, quæ docet idem Bacconius, ubi sup. vers. *Ad propositum*; & etiam ex textu ibidem relato obiter confirmavi, Distinctionem in negativo; ex quo alii Recentes dixerunt, Resolutum ibidem mentionem nullam facere de identitate, nec de Distinctione, sed tantùm de unitate, & multitudine, ipsos ex doctrina ejusdem

tex-

textûs ſpaciatim jam inſequor. Textus eſt hic: *Univerſaliter eſt verum, quòd in omni diviſione imperfectior differentia habet rationem privationis in rei veritate; ſed cùm dividitur ſubſtantia in corpoream, & incorpoream, incorporeum eſt perfectior differentia, ut per ſe patet: igitur corporeum in rei veritate eſt privatio reſpectu incorporei, & incorporeum eſt ſolum privatio ſecundùm famoſitatem nominis: ſed in propoſito cùm ens dividitur in unum, & multa, per ſe patet, quòd ratio unius eſt perfectior, quàm ratio multitudinis, ſicut ſimplex* (perfectius eſt) *compoſito. Igitur unum dicit privationem ſolùm ſecundùm nominis famoſitatem, & multitudo ſecundùm rei veritatem.* Doctor in 1. diſt. 33. q. unica art. 2. §. 4. verſ. ſup. citato. Baccon.

134 Atqui ex hoc textu apertè colligitur, non modò identitatem conſiſtere formaliter in poſitivo, ſed & Diſtinctionem in negativo: ergo ex textu relato utrumque probatur ex mente Doctoris. Probo minorem. Doctor in hoc textu docet, quòd cùm ens dividitur in unum, & multa, unum dicit formaliter poſitionem, ſive poſitivum, & multitudo dicit formaliter privationem, ſive negativum; quippe tò, *formaliter*, idem ſonat, in phraſi Bacconica, ac, *in rei veritate*: ergo etiam modi ſive ſpecies unitatis, debent dicere formaliter poſitivum, & modi ſive ſpecies multitudinis negativum; ſed identitas eſt modus ſive ſpecies unitatis, & Diſtinctio eſt modus ſive ſpecies multitudinis: ergo identitas importat formaliter poſitivum, & Diſtinctio importat formaliter negativum: ergo ſicut negatio, quam importat multitudo, eſt negatio oppoſiti, nempe unitatis, ita negatio, quam importat ille modus ſive ſpecies multitudinis, nempe Diſtinctio, eſt negatio ſui oppoſiti, videlicet identitatis,

titatis, quæ est modus sive species unitatis.

135 Restat probare, quòd, si unum dicit formaliter positivum, & multa formaliter negativum, etiam modi sive species unitatis dicant formaliter positivum, & modi sive species multitudinis dicant formaliter negativum. Probo hoc, & primò sic: Semel quòd unum dicat formaliter positivum, id importare debet tam in substantiis, quàm in qualitatibus, & quantitatibus. Similiter semel quòd multitudo dicat formaliter negativum, hoc debet dicere etiam in substantiis, qualitatibus, & quantitatibus; atqui unitas in substantiis est identitas, in qualitatibus est similitudo, & in quantitatibus est æqualitas, ut tenent communiter Philosophi, & observat Magnus Suarius Metaph. disp. 7. sect. 3. num. 3. ibi: *Est observandum convenientiam hanc plurium rerum in ratione communi in substantiis retinuisse nomen identitatis, simpliciter loquendo, ex accommodatione usûs, & quasi per antonomasiam, in quantitatibus verò vocari similitudinem; in quantitate verò vocari æqualitatem.* Deinde multitudo in substantiis est Distinctio, in qualitatibus est dissimilitudo, & in quantitatibus inæqualitas, ut omnes fatentur: ergo benè sequitur, quòd, si unum dicit formaliter positivum, & multa formaliter negativum, etiam modi sive species unitatis dicant formaliter positivum, & modi sive species multitudinis dicant formaliter negativum. Aptissimè D. Thomas l. 5. Metaph. lectione 12. lit. J. *Idem, & diversum consequuntur unum, & multa.*

Suarius

D.Thom.

Zagaglia.

136 Eapropter Mag. Zagaglia tom. 2. tractatu 2. disp. 2. sectione 1. §. 2. num. 24. vers. *Sed contra*, impugnando Adversarios contendentes, quòd identitas, æqualitas, & similitudo non importent formaliter positivum, arguit sic: *Opposita præfatis*

fatis modis unitatis dicunt privationem, ex quo dicunt privationem unitatis, vel in substantia, vel in qualitate, vel in quantitate. Idem docet Mag. Garcia Metaph. dist. 1. q. 6. art. 2. §. 3. num. 239. in fine. Garcia.
Uterque discurrit ex principiis Bacconii; qui in 1. Baccon.
dist. 33. q. unica art. 2. §. 1. in principio, sic procedit: *Secundus articulus; ubi primò probo, quòd unum, vel idem non dicunt formaliter indivisionem, & privationem.* Probat sic: *Cujus modus, vel species in quæ aliquod commune dividitur sunt positiva, & ipsum commune est positivum: sed modi, vel species, in quos Philosophus 5 Metaph. dividit unum, & idem sunt positivi, sicut patet, quod unum continuitate, unum genere, unum specie, unum in substantia, unum in qualitate, unum in quantitate dicunt positionem. quod patet; quia illa dicunt positionem, quorum opposita* (nota) *dicunt privationem; sed diversum, dissimile, inæquale, & non continuum, non unum &c. hæc omnia dicunt privationem: ergo.* Ex quibus rectè colligitur, non modò, quòd identitas consistat formaliter in positivo, sed etiam, quòd Distinctio importet formaliter negationem identitatis. Et hinc

137 Manifestè ostenditur, quàm sinistra, & à doctrina Bacconii aberrans, sit interpretatio aliorum Recentium, qui dicunt, Doctorem per regulam præfatam: *In omni divisione imperfectior differentia habet rationem privationis in rei veritate &c.* nihil amplius intendisse, quàm, quòd imperfectior differentia careat in rei veritate perfectione alterius differentiæ perfectioris. Nam præter quam quod hæc advertentia esset superflua, cùm sit valde notum, quòd imperfectius caret perfectione perfectioris, nihil Resolutus in hac regula diceret ex parte differentiæ imperfectioris, quod etiam,

proportionali modo, non reperiretur ex parte perfectioris differentiæ; quia sicut imperfectius non continet in rei veritate, sive formaliter, perfectionem perfectioris, ita neque perfectius formaliter continet imperfectionem imperfectioris. Si igitur talis esset sensus Resoluti, quid, quæso, diceret ipse observatione dignum in hac regula ab eodem tam dilligenter excogitata? Quare inconcussum manet discrimen assignatum à Resoluto inter unum, & multa, ex quo imperfectior differentia in omni divisione consistit formaliter in negativo, ita quòd hæc doctrina refelli nequaquam possit, nisi per manifestas tergiversationes, nec opposita defendi sine magno infidelitatis vitio.

138 Probo idem assumptum secundò sic: Semel quòd unum dicat formaliter positivum, & multitudo formaliter negativum, etiam inferiora unitatis debent importare formaliter positivum, & inferiora multitudinis negativum; atqui identitas, similitudo, & inæqualitas sunt inferiora unitatis; deinde Distinctio, inæqualitas, & dissimilitudo sunt inferiora multitudinis: ergo semel quòd unum dicat formaliter positivum, & multitudo formaliter negativum, etiam identitas (sicut & similitudo, & æqualitas) debet importare formaliter positivum, & Distinctio (sicut & dissimilitudo, & inæqualitas) debet importare formaliter negativum. Maior liquet ex eo, quòd in inferioribus sit ratio participata à superiore. Probo minorem ex Philosopho 5. Metaphys. cap. 6. dividente unum in unum continuitate, unum genere, unum specie, unum in substantia, unum in qualitate, & unum in quantitate; sed unum in substantia est identitas, juxta eumdem Philosophum eodem lib. 5. Metaph. ibi: *Identitas unitas quædam essentia est*; deinde unum in quali-

Aristotel.

qualitate eſt ſimilitudo, unum in quantitate eſt æqualitas, ut ſupra oſtendimus: ergo identitas, ſimilitudo, & æqualitas ſunt inferiora unitatis. Quod autem Diſtinctio, inæqualitas, & diſſimilitudo ſint inferiora multitudinis liquet ex eodem Philoſopho dividente ibidem, proportionali modo, multitudinem: *Manifeſtum autem etiam eſt*, (inquit) *quòd* Ariſtot. *multa quoque uni oppoſitè dicuntur. Quædam enim, eò quòd non ſint continua &c.*

139 Confirmo hanc doctrinam ex eo, quòd unum genere, & unum ſpecie dicunt formaliter quid poſitivum: ergo etiam unum ſubſtantiâ. Antecedens concedunt omnes Bacconiſtæ, eò quòd unum genere, & unum ſpecie dicant deformali ratione ſimplicitatem propriam unitatis. Probo conſequentiam. Idcirco unum genere, & unum ſpecie dicunt formaliter poſitivum, quia unum genere participat rationem unitatis, quæ ſecundùm eamdem ſimplicem rationem dicitur de eo; & unum ſpecie participat rationem unitatis, quæ etiam ſecundùm eamdem ſimplicem rationem de ipſo uno ſpecie dicitur; atqui etiam unum naturâ participat rationem unitatis, quæ ſecundùm eamdem ſimplicem rationem de ipſo uno naturâ dicitur; non enim datur maior ratio, cur illa ratio unitatis participetur ab uno genere, & ab uno ſpecie, quàm ab uno naturâ: ergo, cùm unum naturâ ſit identitas, opus eſt, quòd iſta ſit formaliter quid poſitivum, eò quòd participet rationem unitatis poſitivè. Ex quo ſimiliter eſt arguendum ad Diſtinctionem reſpectivè ad multitudinem.

140 Reclamant: Sequitur ex hac doctrina, quòd irrationale, utpote differentia imperfectior rationali, ſit in rei veritate negatio rationalis, quòd eſt apertè falſum, cùm ſit verum, irrationale im-

portare positivam entitatem in rei veritate, tametsi explicetur per negationem. Respondeo: Non sequitur. Quia Doctor solùm loquitur universaliter de illis differentiis contrahentibus rationem divisam, quæ diverso modo participatur à suis contentis, ut res sunt, utî se habet ratio substantiæ ad corpoream, & incorpoream, & ratio entis ad unum, & multa. Etenim ratio substantiæ ita participatur à corporea, & incorporea, quòd corporea, & incorporea differant etiam in re substantiæ, & se totis; immediatè quippe coarctant supremum genus substantiæ, nec convenire possunt in aliquo constituto per differentiam contentam sub genere supremo. Quare substantia solùm est eadem in suis inferioribus immediatè coarctativis, secundùm similem modum prædicandi, quod sufficit ad hoc, ut prædicetur de illis tanquam genus logicum. Non est verò eadem in ipsis inferioribus, ut res sunt, ideoque oportet, quòd corporeum in rei veritate, utpote imperfectior differentia, dicat negationem incorporei.

141 Ratio autem entis, cùm neque sit genus logicum ad sua inferiora, eò quòd prædicetur in recto de eorum differentiis, multò minus potest esse ejusdem rationis in suis inferioribus, ut res sunt. Unde ens taliter concernit unum, & plura, quòd unum sit ens per se, plura verò per accidens; nam plura, cùm sint simpliciter plura, non sunt simpliciter unum; & quod non est simpliciter unum, non est simpliciter ens, ut rectè monet Suarius

Suarius Metaph. disp. 5. sectione 5. n. 2. Igitur, cùm ens diverso modo participetur ab uno, & pluribus, oportet, quòd multitudo, tanquam differentia imperfectior uno, dicat negationem unius in rei veritate.

142 Ast

142 Aſt ratio communis animalis eſt ejuſdem rationis in ſuis inferioribus, ut res ſunt, ita quòd differentia irrationalis, perquam contrahitur ad brutum, non diverſificet in hoc rationem ipſius animalis ab animali hominis, ſiquidem utrobique eodem prorſus modo participatur eadem animalis ratio, & ideo irrationale, etſi differentia ſit imperfectior rationali, non eſt in rei veritate negatio rationalis. Eapropter non ſtat illa regula Reſoluti pro omni omninò diviſione, ſed tantùm univerſalis eſt pro illis, inquibus ratio importata per conceptum communem diverſo modo participatur à ſuis contentis, ut ſupra dicebam. Quæ enim, ut res ſunt, eodem modo participant rationem communem, non oportet, quòd unum ex illis dicat neceſſariò privationem in rei veritate; ſiquidem in illis neque ratio communis participata poteſt eſſe imperfectior in uno, quàm in alio, ut ex eodem Doctore Reſoluto docet Mag. Zagaglia de ratione importata per genus intermedium, tom. 2. tractatu 1. diſp. 4. ſectione 4. §. 5. num. 51. Zagaglia.

143 Inſiſtunt: Diſtinctio non ſemper eſt imperfectior identitate; ſiquidem in Deo perfectior eſt Diſtinctio Perſonarum, quàm identitas inter ipſas. Cæterùm hæc ratio dubitandi eſt impugnatione indigna, cùm ſit omnibus notum, quòd quando unum cum alio comparatur in ratione majoris, vel minoris perfectionis, fit comparatio circa res exiſtentes, vel ſaltem poſſibiles, non autem inter rem exiſtentem, & chimæram; evidens enim eſt, quòd omne exiſtens, vel poſſibile, perfectius eſt in rebus, quàm chimæricum & impoſſibile. Cùm igitur identitas inter Divinas Perſonas ſit impoſſibilis & chimærica, nihilmirum, quòd Diſtinctio, quæ inter ipſas reperitur, ſit perfectior identitate,

quæ

quæ nec reperitur, nec reperiri potest inter illa extrema. Igitur quando dicimus, Distinctionem imperfectiorem esse identitate, loquimur de Distinctione, & identitate existentibus, & possibilibus.

144 Accedit, quòd si modus iste impugnandi Distinctionem in negativo aliquid probaret, certò convinceret utique, quòd multitudo in rei veritate non esset imperfectior unitate, quod tamen nullatenus est admittendum in via Bacconii, qui expressè docet, quòd unum est perfectius multitudine, sicut simplex perfectius est composito, ubi sup. n. 133. *Perse patet, quòd ratio unius est perfectior, quàm ratio multitudinis, sicut simplex composito.* Probo assumptum ex eo, quòd in Deo etiam multiplicitas Personarum sit perfectior, quàm unitas in Personis; cùm hæc etiam sit chimærica. Sed, hoc non obstante, semper est verum dicere cum Bacconio, quòd multitudo ex conceptu suo sit imperfectior unitate: ergo & quòd Distinctio imperfectior sit identitate, ex quo illa, non ista consistit in negativo.

Baccon.

145 Maior difficultas est, si ita arguatur: Distinctio, quæ datur inter Divinas Personas non est imperfectior identitate, quæ reperitur inter ipsas Personas, & Essentiam Divinam. Nihilominus facilis est solutio, quia, estò illa Distinctio in Deo non sit imperfectior illâ identitate, ex hoc non sequitur, quòd Distinctio ex genere suo non sit imperfectior identitate sumptâ etiam ex genere suo. Sicut non sequitur, quòd potentia productiva non sit ex genere suo minus perfecta quàm sapientia, juxta illud: *Melior est sapientia quàm vires*, tametsi Omnipotentia Dei non sit suâ Sapientiâ imperfectior. Ratio est; quia in Deo omnia sunt æqualis perfectionis ex eo, quòd Deus sit Ens Summum continens

tinens supereminenter omnem perfectionem inæqualium ex genere suo, quapropter Potentia factiva Divina, sive Omnipotentia, ex eo, quòd sit Divina, est æqualis Divinæ Sapientiæ, non obstante, quòd sapientia ex genere suo sit perfectior potentiâ factivâ. Hinc patet tantam perfectionem importare in Deo Distinctionem, quàm identitatem, tametsi identitas ex conceptu suo perfectior sit Distinctione.

146 Replicant adhuc: Si Distinctio est imperfectior identitate juxta Bacconium, ex eò, quòd juxta eumdem, multitudo imperfectior est unitate, & hac de causa tam Distinctio, quàm multitudo, consistit in negativo, quomodò salvatur doctrina Aristotelis Metaph. l. 10. cap. 5. docentis, quòd unum, & multa sunt contrariè opposita; cùm oppositio contraria reperiatur tantùm inter extrema positiva. Ait enim Philosophus ibi: *Opponuntur autem unum, & multa &c.* & paulo post: *Cum autem oppositiones quatuor sint modi :::: contraria erunt profectò.* Aristotel.

147 Pro solutione observandum est ex doctrina Bacconii tradita à Mag. Zagaglia tom. 2. tractatu 2 disp. 2. sectione 1. §. 2. num. 28. quòd, cùm unum possit dupliciter considerari, nempe, vel secundùm nominis famositatem, vel secundùm rei veritatem, & similiter multitudo, unitas primo modo sumpta importat privativum, seu negativum, & sumpta secundo modo importat positivum: econversò, multitudo primo modo accepta dicit positivum, secundo modo dicit privativum, sive negativum: ex quibus sequitur, quòd, si multitudo secundùm rei veritatem, sive formaliter spectata, comparetur cum unitate sumpta etiam formaliter, vel si multitudo secundùm famositatem nominis, Zagaglia.

sive

sive materialiter accepta, comparetur cum unitate etiam materialiter sumpta, unitas, & multitudo opponuntur privativè.

148 Si verò multitudo sumatur diverso modo, ac unitas, ideft, si sumatur secundùm famositatem nominis, seu materialiter, & unitas sumatur secundùm rei veritatem, tunc unitas, & multitudo non privativè, sed contrariè opponuntur; quippe hoc pacto tam unitas, quàm multitudo important positivum, & ideo docet Aristoteles, quòd unum, & multa contrariè sint opposita, sed non propterea negat, quòd etiam opponantur privativè, factâ aliâ comparatione; imò in textu sup. relato mentionem facit duarum oppositionum inter unum, & multa, nempe privativæ, & contrariæ.

Aristotel. En integrum Philosophi textum: *Opponuntur autem unum, & multa multis modis, quorum uno unum & multitudo, ut indivisibile, & divisibile: quod enim aut divisum, aut divisibile est, multitudo quædam dicitur: quod verò indivisibile, aut non divisum, unum. Cùm autem oppositiones quatuor sint modi, & horum alius secundùm privationem dicatur, contraria erunt profectò, & neque ut contradictio, neque ut ea, quæ ad aliquid dicuntur.* 10. Metaph. cap. 5. & apud D. Thomam lectione 4. in principio.

149 Quod autem unum, & multa, non obstante, quòd opponantur contrariè, opponantur etiam privativè (factâ diversâ comparatione) docet Mag. Zagaglia ubi sup. Et Mag. Garcia in Metaph. dist. 1. q. 6. art. 2 §. 3. n. 249. admittit oppositionem contrariam inter unum, & multa, si multitudo materialiter, sive fundamentaliter accipiatur, eò quòd ita accepta importat aliquid positivum, quo non obstante, sustinet, dari oppositionem

Zagaglia.
Garcia.

nem privativam inter illa, si multitudo sumatur formaliter, quia formaliter sumpta, inquit, dicit carentiam unitatis. Sic etiam discurrit Mastrius Metaph. disp. 5. q. 4 art. 1. num. 56. ubi agit de intelligentia textûs allegati. Doctissimus Vasques tom. 2. disp. 128. cap. 2. n 4. ubi docet ex Aristotele, unum, & multa contrariè opponi, cùm dicat ipse: *Contraria erunt profecto*: ibi num. 5. ad objectionem sumptam ex verbis ejusdem Aristotelis: *Horum alius secundùm privationem dicatur*, quibus videtur non negare oppositionem privativam inter illa, sic respondet: *Si eam oppositionem non negavit, saltem non asseruit, solùm opponi secundùm privationem: Sed cùm addidit*, contraria erunt profecto, (*quibus verbis enumeravit genus oppositionis contrariæ unum ex quatuor, quæ esse dixit*) *expressè sensit opponi contrariè. Quare si concedimus opponi privativè, ita id debemus asserere, ut non negemus etiam opponi contrariè.*

Mastrius.

Vasques.

150 Ex his manifestè colligitur, quòd etsi in Compendio pro Diverso, & Eodem docuissem, multitudinem importare privationem unitatis, ex hoc non sequitur, quòd non opponatur etiam unitati contrariè; quia, factis diversis comparationibus inter unum, & multa, stat optimè, quòd ipsa privativè, & contrariè opponantur. Quòd si præfato loco disp. 5. sectione 1. q. 1. n. 537. teneo, unitatem, & multitudinem solùm contrariè opponi, ubi videbatur dicendum, quòd absolutè excludo aliam quamcumque oppositionem, præter contrariam, nihilominus per ly, *solùm*, non excludo ibi oppositionem privativam, sed contradictoriam; quia ibi fit comparatio unitatis, & multitudinis ad identitatem, & Distinctionem; & cùm Distinctio formaliter spectata opponatur contradictoriè identita-

ti, unitas autem, formaliter etiam accepta, opponatur contrariè multitudini, sumptæ secundùm famositatem nominis, juxta superius explicata, idcirco insinuo ibidem, non fieri bonum argumentum ab unitate ad identitatem, respectivè ad multitudinem, secundùm famositatem nominis acceptam, & ad Distinctionem, formaliter sumptam; quia unitas, & multitudo solùm contrariè opponuntur, idest, non contradictoriè, sicut identitas, & Distinctio. Hæc ita explanare placuit, ut doctrinam à me traditam perfectè intelligant Recentes illi, qui me de incohærentia, in via Bacconii, arguere ausi sunt.

151 Restat solvere duas difficultates speciales, quæ videntur manifestæ contradictiones nostri Doctoris, tametsi, re vera, non sint, ut infra ostendam. Prima igitur difficultas fundari potest in doctrina ejusdem Bacconii in 1. dist. 33. art. 2. §. 3. vers. *Confirmatur*. Ubi asserit, quòd quando aliqua res habet diversas expressiones, quarum una sonat affirmationem, alia negationem, magis supponendum est, quòd affirmativa ratio sit prima, & ad istam consequatur negativa, quàm econtrario, ibi: *Quando aliqua res habet rationem experimentem eam affirmativè, & negativè, magis supponendum est, quòd affirmativa ratio est prima, & negativa consequitur ad eadem, quàm econversò*: ex quibus verbis videtur dicendum, quòd cùm Distinctio habeat expressionem negativam, nempe negationem identitatis, & affirmativam, scilicet alietatem unius à reliquis, sola expressio affirmativa sit prima, in ipsaque consistat Distinctio formaliter accepta.

Baccon.

152 Verùm hæc difficultas facilè solvitur ex eo, quòd Doctor, ubi supra, solùm loquitur de rebus simplicibus, uti sunt identitas, similitudo, æqua-

æqualitas, quæ sunt species unitatis, dequa ipse agit præfato loco, quem sic concludit: *Cùm igitur unum possit dicere rem esse simplicem, & rem esse indivisibilem, quia unum dicit rem non recipere additionem, vel diminutionem, quod convenit rei, ut simplex, & ut indivisibilis est: igitur magis est supponendum, quod primo unum dicit formaliter istam rationem, quæ est esse simplex, quàm esse indivisibile.* Hapropter ostendit Mag. Zagaglia unitatem consistere formaliter in positivo, juxta Bacconium, non obstante, quod sonet etiam negationem multitudinis, quia unitas est res simplex. Distinctio autem, cùm non sit simplex conceptus, non est de numero rerum, de quibus Resolutus in præsenti loquitur. Baccon. Zagaglia.

153 Maior est secunda difficultas, & rectè fundata in doctrina ejusdem Doctoris, ibidem sup. art 5. ubi impugnat sententiam Aureoli, & aliorum docentium, Relationes Divinas, & Essentiam differre ex eo, quòd non habeant eamdem identitatem absolutam, qua una res est eadem sibi ipsi, & hanc identitatem non esse aliquid positivum, contra quos arguit sic: *Illa non est prima differentia, quæ reducitur in priorem: sed ex processu argumenti differentiam istarum non identitatum reducis in priorem differentiam formalem positivam: igitur prima differentia est per formalia positiva, non per privationes, aut per non identitates.* Ibi, vers *Contra quos.* Deinde vers. seq dicit, Adversarios sic argumento suo satisfacere: *Verum est, quòd differentiam illam non identitatum reducit in priorem positivam fundamentalem, non formalem: imò nulla formalis positiva præsupponitur differentia talium identitatum, quinimò prima distinctio formalis, quæ est ibi, est illarum non identitatum.* Dicit etiam, Baccon.

Adversarios dictum suum multis manifestare exemplis, exquibus unum affert magis apparens, quo non obstante, solutionem illorum sic impugnat:
Baccon. *Contra, licèt infinitis modis possit impugnari istud exemplum, & responsio, tamen directè arguo, quòd illud, & quodcumque exemplum, quod ponit, concedit, quòd præcedit ibi distinctio formalis positiva, sic: tu concedis, quòd illæ non identitates præexigunt distinctionem positivam fundamentalem, scilicet essentiæ, & relationis; sed distinctio illa positiva præexigita, quam vocas fundamentalem, est formalis: ergo ibi præcedit distinctio formalis positiva.*

154 Non levis est hæc difficultas, & quidem maturâ speculatione digna. Miror, quòd Recentes nullam prorsùm de ea mentionem faciant in favorem suæ sententiæ! Sed quidquid de eo sit. Pro expedita solutione est valdè advertendum, Doctorem Resolutum inter Relationes Divinas, & Essentiam admittere Distinctionem intentionalem, de qua uberrimè disputavi in Compendio pro Diverso, & Eodem disp. 3. sectione 2. Et hæc Distinctio, ut ibidem ostendi, non est tantùm fundamentalis, sed est formalis, quia in eadem indivisibili entitate invenit Doctor formalitates diversas per ordinem ad intellectum creatum. Sunt autem præfatæ formalitates (putà Essentia, & Relatio) positivæ à parte rei in lineâ objicibili, relativâ, sive respectivâ ad nostrum intellectum, etiam pro priori ad negationem formalem identitatis intentionalis unius formalitatis cum alia; ex quo sequitur, quòd etiam pro priori ad negationem talis identitatis detur inter ipsas formalitates Distinctio formalis positiva, non (nota hoc) prout terminus, *formalis*, contraponitur termino, *fundamentaliter*,

ex

ex parte Diſtinctionis, benè quidem prout contraponitur termino, *fundamentaliter*, ex parte extremorum.

155 Pro maiori intelligentia eſt rurſùs advertendum, quòd, quantum eſt ex parte extremorum, Diſtinctio alia eſt poſitiva, alia negativa, & miſta alia. Poſitiva eſt illa, quæ datur inter duas res poſitivas. Negativa illa, quæ inter negationem, & negationem conſideratur. Miſta tandem illa eſt, quæ habet locum inter unum poſitivum, & aliud negativum. Hinc eſt, quòd ſi Diſtinctio inter Eſſentiam, & Relationem v. g. ſumatur ex parte extremorum, poſitiva dicatur, & formalis, Eſſentia quippe, & Relatio formalitates ſunt poſitivæ. Verùm hæc eadem Diſtinctio, quæ ratione extremorum eſt formalis, nihilominus fundamentalis eſt reſpectivè ad negationem identitatis intentionalis, in qua ſtat conſtitutivum formale ejuſdem Diſtinctionis intentionalis ex parte ſui acceptæ; quia omnis Diſtinctio, quantùm attinet ad conceptum Diſtinctionis formaliter ſumptæ ex parte ſui, importat negationem identitatis. Et hoc verum habet, vel extrema ſint formalitates poſitivæ, vel ſint carentiæ, ſive negationes, vel unum eorum ſit poſitivum, alterum negativum. Id, quod rectè obſervavit Suarius Magnus diſp. 7. Metaph. ſectione 1. n. 2. Quapropter deſpiciendi etiam ſunt Recentiores illi, qui, hac doctrinâ prætermiſſâ, aſſerunt, genuinam mentem, ſententiam ve Bacconii in eo ſtare, quòd ſi res, quæ diſtinguitur fuerit poſitiva, illius quoque Diſtinctio conſiſtat formaliter in poſitivo, ſi negativa, formaliter in negativo conſiſtat. Hoc enim pacto confundunt materiale Diſtinctionis cum formali. Unde mirum eſt, quòd Mag. Blaſco, cæteroquin doctiſſimus, tom. 1. l. 4. diſt. Suarius. Blaſco.

13. q. 5. art. 1. num. 19. fundamen illis præbeat sic sinistrè interpretandi Bacconium Vide sup. n. 101.

156 Ex supra animadversis non erit operosum authoritatibus Resoluti satisfacere. Quamvis enim ipse velit, quòd Distinctio, quæ præsupponitur ad negationem identitatis sit formalis, & non fundamentalis, sensus est, quòd extrema sint veræ formalitates, & non tantum virtualitates, sive fundamenta ad illas, ut Adversarii contendebant, prorsùs negantes formalitates ex natura rei, præsertim in Divinis. Ast non vult, quòd in ipsis formalitatibus positivis consistat Distinctio pro formali; siquidem Distinctio formaliter sumpta importat privationem, sive negationem identitatis, ex eodem Doctore, ubi supra allegato. Quod autem hic sit verus, & legitimus Bacconii sensus, multis patet. Primò, quia loco proximè citato procedit contra Aureolum negantem formalitates ante opus intellectus, concorditer ad illa, quæ docuerat in 1. dist. 2. q. 2. art. 3. §. 1. in principio:
Baccon. *Teneo, quod attributa distinguuntur ex natura rei per rationes formales, quod est contra Aureolum.* Secundò, quia eâdem dist. 33. art. 5. ubi præfatam difficultatem objicit sibi, remittit se ad dist 34. art. 2. ubi probat Distinctionem ex natura rei per rationes formales Essentiæ, & Relationis, juxta Augustinum, declarans Distinctionem positivam formalem, de qua disputat ibi, esse Distinctionem formalitatum, quas admittit saltem in esse objicibili ad intellectum. Ibi in fine: *Contra istam viam* (id est difficultatem propositam) *quære dist. 34. art. 2. ubi duæ conclusiones probantur, quarum una est, quod differunt positivè saltem in esse conceptibili.*

157 Tertiò Quia eodem articulo § 2. vers. *Primò*, docet, quòd Paternitas, & Filiatio differunt

runt *non solùm quia negationes, sed propriis positivis, ut quia hæc est positivè paternitas, & hæc positivè filiatio*; quia, pro priori ad negationem, Paternitas, & Filiatio sunt formalitates positivæ fundantes negationem identitatis intentionalis, quod est verum; alioqui enim negatio non haberet proximum fundamentum. Quartò, quia in antecedentibus, præsertim dist. 33. superius citata, expressè tenet, conceptum Diversi, sive Distincti, importare formaliter privationem, non positivum. Id, quod ostendit non tam per authoritatem Philosophi, sed etiam per regulam illam generalem: *Universaliter est verum*, de qua sup. num. 133. Et speciatim q. unica dist. citatæ, art. 2. §. 1. cujus formalia verba dedimus n. 136. Igitur loquitur Resolutus, ubi supra allegatus, de Distinctione ex parte extremorum acceptâ, sive de Distinctione materialiter sumpta pro formalitatibus illis, quæ sunt extrema positiva; non autem de formali constitutivo Distinctionis, de quo est nostra quæstio. Nec est cur in hoc amplius immoremur, cùm ista sit expedita, veraque solutio præsentis difficultatis.

158 Dices: Privatio, & negatio non in idem collimant; privatio quippe reperiri potest in subjecto capaci, tametsi impedito; secus negatio: ergo licèt Bacconius doceat, Distinctionem consistere formaliter in privatione identitatis, perperam colligitur negatio ex ejus mente. Respondeo, quòd privatio strictè sumpta tantùm in subjecto capaci reperitur. Cæterùm in privatione latè acceptâ etiam negatio includitur, & econtra, de quo vide tractatum 4. Logicæ disp. 3. sectione 1. q. 1. n. 784. Accedit, quòd præcipuus noster scopus, ut jam supra animadverti, est ostendere, Doctorem non in ipsa positiva rei entitate constitutivum formale Distin-

Distinctionis collocasse; benè verò in carentia identitatis, privatione, sive negatione, id, quod evidentissimè ex locis ejusdem sup. allegatis apparet.

159 Multa alia ejusdem Doctoris loca facilè conciliari possunt, notando, quòd ipse minimè negat fundamentum positivum Distinctioni formaliter sumptæ, imò expressè asserit, tale fundamentum importare positivum v. g. dist. 34. l. primi art. 1. § 1. vers. *Item cùm dicitur*, ibi: *Oportet istam negationem adæquationis fundari super aliquod positivum.* Et in 3. dist. 1. q. unicâ, art. 2 § 1. vers. *Contra*, ibi: *Omnis negatio præsupponit affirmationem causam sui.* Siquidem, inquit, oportet, quòd homo sit homo, ut fundet negationem identitatis cum lapide. Sunt & aliæ difficultates, quæ præscindendo à doctrina ejusdem Resoluti, & solâ ratione stante, videntur convincere, Distinctionem consistere formaliter in positiva rei entitate.

Baccon.

160 Prima sic proponitur: Differentia, v. g. rationale, secundùm positivam suam entitatem, est differentia formaliter talis: ergo facit differre formaliter per eandem sui entitatem positivam. Antecedens ex se claret. Probas consequentiam. Semel quòd albedo sit formaliter albedo, facit rem formaliter albam: ergo similiter. Respondeo, concesso antecedenti, negando consequentiam. Ad probationem, concesso etiam antecedenti, nego consequentiam. Discrimen est: quia omnis albedo est formaliter constitutiva albi. Ast non omnis differentia est formaliter distinctiva; benè vero altera formaliter distinctiva, altera formaliter constitutiva. Sicut alius est conceptus rei formaliter constitutæ, alius rei formaliter distinctæ. Nam si per impossibile omnia essent idem, haberent constituti-

vum

vum formaliter tale, non autem diſtinctivum formale. Unde differentia ex conceptu ſuo præſcindit ab eo, quòd ſit formaliter conſtitutiva, vel formaliter diſtinctiva. Id, quod, adverſùs P. Comptonum, ſagaciter monet Mag. Bona ſpes Logicæ diſp. 2 dubio 1. n 106. Audiendus ibi: *R. P. Comptonus diſp 19. Logicæ, ſectione 3. non rectè docet conceptum differentiæ eſſe, facere rem diverſam ab alia formaliter; quandoquidem id ſoli differentiæ, ut differentiæ diſtinctivæ convenit, & non differentiæ, ut differentiæ conſtitutivæ, quæ rectè confunditur cum conſtitutivo rei, ſicut illa cum diſtinctivo.* Bona ſpes

161 Secunda difficultas proponitur ſic: Diſtinctio identificatur cum poſitiva entitate rei diſtinctæ: ergo non conſiſtit formaliter in negatione. Antecedens liquet ex eo, quòd Diſtinctio ſit paſſio Entis, & omnis paſſio, ſive proprietas, identificetur realiter cum re, cujus eſt paſſio. Probatur conſequentia Si conſiſteret formaliter in negatione, negatio identificaretur cum entitate poſitiva, non ſolùm creatâ, ſed etiam Divinâ; ſed nulla negatio, utpote involvens imperfectionem, poteſt identificari cum Deo, imò cum nullo ente poſitivo: ergo Diſtinctio non conſiſtit formaliter in negatione. Reſpondeo negando antecedens, & conſequentiam. Ad probationem conſequentiæ nego maiorem, &, conceſſâ minore, nego iterum conſequentiam. Quia quando dicimus unum diſtingui ab alio per negationem identitatis cũ illo, non intendimus, quòd ipſa negatio identificetur cum poſitiva entitate unius, ſed tantùm quòd fundetur in entitate poſitiva ejuſdem, ut ex hac entitate, tanquam ex ſubjecto, & ex negatione ipſa, tanquam ex forma, reſultet concretum, *diſtinctum.* Unde ſicut ex ſubjecto, & albedine reſultat album formaliter tale, quin albedo identificetur cum ſub-

jecto, ita ex subjecto, & negatione resultat *formaliter distinctum*, quin negatio identificetur cum subjecto, sive cum entitate positiva. Ex quo solùm sequitur, quòd negatio sit de constitutivo rei formaliter distinctæ, non de constitutivo rei formaliter constitutæ. Sicut albedo non est de constitutivo subjecti formaliter constituti, sed tantum de constitutivo subjecti formaliter albi. Videndus ad
Arriaga. rem Arriaga Metaph. disp. 1. sectione 3. subsect. 3. n. 43. vers. *Igitur*.

162 Nec obstat, quòd etiam Deus in ratione distincti includat in suo conceptu negationem, sicut non obstat, quòd illam includat in ratione solius, cùm in omni sententia certum sit, quòd unitas solitudinis consistat in negativo, sive in carentia alterius Dei. Eapropter docet Mairon 1. dist 24.
Mairon. q. 2. non esse inconveniens dicere, quòd aliquæ privationes, quæ privant imperfectionibus, sint meliores in quolibet subjecto, quàm non ipsæ, quatenus melius est imperfectionibus carere, quàm illas habere. Sic *non dependentia est negatio dicens perfectionem*. Doctor in 3. dist. 1. q. unica art. 2 § 1. in fine.
Baccon. Ad illud, quòd Distinctio sit proprietas Entis, exquo arguebatur identitas saltem realis, dico, Distinctionem solùm esse Entis proprietatem, seu passionem, quatenus nullum reperitur Ens, quod non fundet Distinctionem formalem ab alio, seu Distinctionem pro formali sumptam, quæ fundamentaliter accepta certò identificatur cum re positiva.

SE-

SECTIO II.

De Veritate transcendentali.

QUÆSTIO UNICA.

In quo consistat Veritas transcendentalis?

163 RESOLUTIO: Veritas transcendentalis, quæ est secunda Entis proprietas, consistit formaliter in positivo, nempe in conformitate rei existentis ad sua principia constituentia, sive ad suam essentiam. Ita expressè Doctor in 1. dist. 19 q. 1. quem sequuntur Baccon. Mag. Zagaglia tom. 2. tract. 2 disp. 2. sect 2. n. 34. Zagaglia. Mag. Garcia Metaph. dist. 1. q 6 art. 4 §. 2. n. 294. Garcia. M. de Castilla tom. 1. Theolog. tract 2. q 12. num. De Castil. 377. & cæteri ejusdem Doctoris discipuli. Hæc est Meruiss. in re sententia, quam tenent Meruisl. Acerb. & Niph. Acerb. quos citat, sed non sequitur Mastrius disp. 5 Me- Niph. taph. q. 6. art. 3. num. 159. Antequam resolutionem Mastrius. probem,

164 Prænoto primò, Veritatem transcendentalem esse illam, quæ vagatur per omnia genera, & transcendit non modò rem quamcumque, sed ultimam illius differentiam; cùm enim talis Veritas sequatur Ens immediatè, necessariò debet transcendere omne id, quod Ens transcendit, videlicet omne habens conceptum oppositum chimæræ, quod, hac de causa, non minus est Ens, quàm Verum, ita quòd eo modo sit Verum, quo est Ens. Unde si est Ens in essendo, debet importare Veritatem in essendo; si Ens futurum, Veritatem futuram; si ve-

rò Ens possibile, & Veritatem possibilem debet importare. Semper enim Entitas illa secundùm illud esse, quod habet pro tali differentia temporis, debet adæquari cum sua essentia, in quo stat Veritas transcendentalis, ut infra dicemus.

165 Prænoto secundò, Veritatem transcendentalem esse Veritatem entitativam, sive in essendo, præscindendo à conformitate cum intellectu, etsi dicat ordinem, & respectum ad illum in linea intentionali. Et hæc Veritas ex Resoluto, ubi supra art. 3. in principio, sic definiri potest: *Adæquatio, aut rectitudo, quam res habet quando scilicet ita est in essendo, sicut essentia debet esse*, ex quibus, vel similibus verbis, indubitanter tenet Mag. Zagaglia, ubi supra n. suo 21. sensum Bacconii hunc esse: *Quod tunc res* (do formalia verba) *in actu dicatur importare Veritatem entitativam, seu in essendo, quando in statu existentiæ ita est secundùm sua prædicata essentialia, sicuti se habet sua essentia in statu potentiæ, vel objectivè, vel subjectivè, ita quòd eadem prædicata essentialia, quæ præcedunt in statu potentiæ, sint illa eadem, quæ concurrant, ad integrandam essentiam existentem, sicque nihil amplius, vel minus essentialiter dicat res existens, quàm importaret eadem entitas dum erat sub statu potentiæ; & ideo benè dicit Doctor, quòd hæc Veritas est adæquatio, & rectitudo; quia res sub gradu essendi actu commensuratur suæ essentiæ, sive potiùs sibi ipsi, dum præcedebat sub statu essendi potentiâ.*

Baccon.

Zagaglia.

166 Prænoto tertiò, Ens commune Deo, & creaturæ, abstractè sumptum, dicere essentiam simpliciter, hanc verò essentiam dicere non repugnantiam ad esse generalissimè, ita quòd sit indifferens, ut contrahatur ad diversas non repugnantias ad esse, (ut ita dicam) nempe ad non repugnantiam ad esse,

esse, quæ dicat potentiam objectivam, ad non repugnantiam ad esse, quæ dicat etiam potentiam subjectivam, & ad non repugnantiam ad esse, quæ dicat possibilitatem semper conjunctam cum esse, sive existere. Hinc

167 Prænoto quartò, quòd, licèt nullatenus dici possit, essentiam Dei pro aliquo priori, etiam rationis cum fundamento in re, præscindere ab existentia, optimè dici potest, essentiam Dei in actu importare possibilitatem ad esse, quatenus excludit impossibilitatem; quod enim cum summa necessitate est in actu, includit possibilitatem ad esse, ac per consequens est conforme ad suam essentiam, ex quo est ita in actu, sicut habet esse ejus essentia, in quo, ut diximus, consistit Veritas transcendentalis, sive entitativa, de qua agimus. His prænotatis,

168 Probo resolutionem, & primò sic: Veritas transcendentalis rei est esse rei; sed esse rei consistit formaliter in positivo: ergo & Veritas transcendentalis. Consequentia sequitur. Minor liquet. Probo maiorem. Verum aurum consistit in esse ipsius auri: ergo Veritas transcendentalis rei est esse rei. Probo antecedens. Antequam intelligatur negatio, sive carentia auri falsi, jam aurum Verum habet per suam entitatem, quòd sit Verum, ut ex se patet: ergo Verum aurum consistit in esse ipsius auri. Sic de Vera domo, & cæteris discurrendum Unde Doctor ubi supra art. 2. *Illa* (inquit) *est vera domus, quia est, sicut esse debet.* Et D. Augustin. l. 2. Soliloquiorum cap. 5. in fine, Verum sic definit: *Id, quod est.* Baccon. D.August

169 Secundò sic: Quando aurifaber v. g. judicat splendorem auri, quem inspicit in lapide lydio, non esse splendorem auri falsi, idcirco id judicat,

dicit, quia color inspectus in tali lapide cognoscitur ab illo tanquam color proprius correspondens naturæ Veri auri, per experientiam, quam habet, de Veri auri naturâ: ergo Veritas transcendentalis antecedenter ad negationem falsitatis consistit formaliter in positivo.

170 Tertiò sic: Veritas transcendentalis consistit in conformitate rei existentis ad sua principia constituentia, sive ad suam essentiam; sed hæc conformitas est aliquid positivum formaliter, præscindendo ab eo, quòd sit positivum absolutum, vel respectivum: ergo Veritas transcendentalis consistit formaliter in positivo. Probo maiorem, in qua tantùm est difficultas. Si hæc res existens, quæ v. g. censetur aurum, non coalesceret ex principiis constituentibus essentiam auri, talis res non esset Verum aurum: ergo, econversò, si hæc res existens, quæ censetur aurum, reipsa coalescat ex principiis constituentibus essentiam auri, talis res erit aurum Verum: ergo Veritas transcendentalis consistit in conformitate rei existentis ad sua principia constituentia, sive ad suam essentiam.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

171 NOstræ resolutioni opponuntur quidam cum Aureolo in 1. dist. 13. q. 3. asserentes, Veritatem transcendentalem dicere quidnegativum formaliter, ita quòd Ens Verum formaliter sit illud, quod non est fictum, nec apparens. Opponuntur etiam Hærvæus, Durandus, & Henricus, (hos citat, & sequitur Vasques tom. 1. disp. 77. cap. 4. in principio) quatenus sustinent, Veritatem transcendentalem non dari ex parte rerum, nisi tantùm per extrinsecam denominationem à Veritate intellectûs.

Aureolus.

Hærvæus Durand. Henricus. Vasques.

lectûs. Opponuntur etiam tam antiqui, quàm recentes Thomistæ, quos citant, & sequuntur nostri Complutenses, Metaph. disp. 22. q. 1. §. 1. n. 1. quatenus docent, Veritatem transcendentalem consistere formaliter in quâdam proprietate absoluta, per quam Ens concipitur formaliter conforme intellectui Divino, seu idææ, & exemplari in intellectu Divino existenti. Addunt tamen ipsi Complutenses n. 3. quòd hæc doctrina intelligitur de Veritate transcendentali creata. Nam si sermo sit de Veritate abstrahente à creata, & increata, ratio, & natura ipsius erit constituenda formaliter in Ente, quatenus est aptum facere Veram sui æstimationem in intellectu Divino, & cum eo habere convenientiam, seu conformitatem, abstrahendo ab hoc, quòd talis conformitas induat respectum realem, vel rationis, ita quòd in Ente creato dicat respectum realem, rationis verò in Ente increato. Opponuntur etiam ferè omnes Scotistæ sequentes Doctorem Subtilem, & passim DD. Societatis, signanter Suarius, Arriaga, Hurtad, & alii, quos citàt Mastrius Metaph. disp. 5. q. 6 ar. 3. n 153. in fine, & sequitur n. 161. Hi enim defendunt Veritatem transcendentalem consistere in conformitate saltem aptitudinali, quam Ens quodlibet natum est habere ad intellectum, ita ut rem esse formaliter Veram nihil aliud sit, quàm esse intelligibilem à quocunque intellectu, secundùm esse, quod in re habet, ut ex D. Thoma notavit Mairon apud eundem Mastrium Pro his omnibus; & imprimis pro AA. primæ sententiæ

Complut. Scotus. Suarius. Arriaga. Hurtad. Mastrius. D.Thom. Mairon.

172 Objicies primò Veritas transcendentalis recurrit cum puritate, & sinceritate rei; sed puritas, & sinceritas consistunt formaliter in negativo: ergo & Veritas transcendentalis. Maior liquet. Probo minorem. Puritas, & sinceritas rei consistunt forma-

formaliter in negatione admixtionis rei extraneæ: ergo consistunt formaliter in negativo. Probo antecedens. Aurum Verum idcirco purum, & sincerum dicitur, quia est ab omni metallo defæcatum: ergo puritas, & sinceritas rei consistit formaliter in negatione admixtionis rei extraneæ. Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem. Ad probationem nego antecedens. Ad probationem antecedentis distinguo antecedens: aurum Verum idcirco purum, & sincerum dicitur, quia est ab omni metallo defæcatum, si sermo sit secundùm modum communem loquendi, & explicandi, concedo antecedens: si sermo sit secundùm modum loquendi philosophicum, nego antecedens. Igitur quidquid sit de modo communi explicandi Verum aurum; cùm certum sit, quòd Philosophi investigant rerum essentias, & ita debent assignare pro constitutivo Veri auri id, quod antecedit pro aliquo priori ad ipsam negationem, nempè conformitatem cum natura Veri auri, quæ importat aliquid positivum formaliter, & ipsam negationem extranei tantùm consecutivè.

173 Accedit, quòd aurum optimè stare potest cum tali admixtione. Nam (ut benè Mastrius n. 144. impugnando Aureoli sententiam) vel per talem admixtionem intelligitur admixtio per confusionem, vel per juxta positionem? Si intelligitur admixtio per confusionem, cum hac bene stat Veritas auri; quia quantumcumque aliquid extraneum cum auro commisceatur, nunquam tamen natura auri transit in naturam alterius, sed semper ibi reperitur aliquod Verum aurum. Si verò intelligitur admixtio per juxta positionem, multò minus tollit esse Veri auri; cùm enim ibi perseveret aurum, ita & ejus Veritas perseverat: ergo Veritas auri non potest

Mastrius.

test formaliter consistere in negatione admixtionis, eò quòd compatiatur cum ipsa admixtione. Igitur in sola conformitate cum ipsa essentia auri consistit.

174 Objicies secundò pro Authoribus secundæ sententiæ. Veritas transcendentalis solùm importat denominationem extrinsecam dirivatam à veritate cognitionis in ipsas res: ergo non consistit formaliter in conformitate rerum existentium ad sua principia constituentia, sive ad suas essentias. Probas antecedens. Non reperitur in rebus Veritas formaliter in essendo: ergo Veritas transcendentalis solùm importat denominationem extrinsecam à veritate cognitionis derivatam in ipsas res. Probas antecedens. Non reperitur in rebus falsitas formaliter in essendo: ergo neque Veritas. Antecedens liquet ex eo, quòd falsitas consistit tantùm in judicio falso, quo objectum judicatur difformiter ad se ipsum.

175 Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem nego antecedens. Ad cujus probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est: quia, ut daretur falsitas formaliter in essendo in rebus, opus erat, quòd res in statu existentiæ non ita essent secundùm sua prædicata essentialia, sicut se haberent suæ essentiæ in statu potentiæ, vel objectivæ, vel subjectivæ (per oppositionem ad superius dicta, de Veritate in essendo, num. 165) quod est impossibile; alioqui enim quando res existerent, aliter existerent, atque possent existere. Ast, ut detur Veritas formaliter in essendo in rebus, nihil ultra requiritur, quàm quòd res in statu existentiæ ita sint secundùm sua prædicata essentialia, sicut se habebant suæ essentiæ in statu potentiæ, vel subjectivæ, vel objectivæ, loquendo de Veritate in rebus creatis; & cùm res in statu

existentiæ ita sint, & habeant adæquationem, seu conformitatem cum suis essentiis, juxta ibi dicta, & explicata, idcirco in illis reperitur Veritas formaliter in essendo.

Aristotel. 176 Instabis. Juxta Aristotelem Metaph. l. 6 cap. 2. in fine, nec Verum, nec falsum reperitur in rebus, sed tantùm in intellectu, ibi: *Non enim est falsum, & verum in rebus, sed in mente*: ergo non stat solutio cum doctrina Philosophi. Respondeo ad instantiam distinguendo antecedens, & explicando Aristotelem: nec Verum, nec falsum reperitur in rebus, sed tantùm in intellectu, loquendo de Veritate transcendentali manifestativa, concedo antecedens: loquendo de Veritate transcendentali in se, nego antecedens, & consequentiam. Ad intelligentiam hujus textus est notandum, Veritatem transcendentalem sumi posse vel in essendo, & in se, vel in manifestando, & apud intellectum. Prima dicit adæquationem, sive rectitudinem rei in essendo, sicut essentia debet esse, & ipsam non negat Philosophus in rebus, imò, Metaph. l. 2. cap. 1. in fine, eam tribuit omnibus rebus, sicut tribuit esse, ibi: *Quare ut secundùm esse unumquodque se habet, ita etiam secundùm veritatem.* Secunda verò dicit adæquationem, sive rectitudinem, quæ est manifestatio sui apud intellectum, & de ista loquitur Aristoteles, ubi supra primò citatus.

(Aristotel.)

177 Quòd autem Veritas transcendentalis non sit extrinseca tantùm denominatio, manifestè patet ex eo, quòd aliundè non esset propriè Entis proprietas; passio enim, sive proprietas propriè talis, debet ab intrinseco convenire rei, cujus est proprietas. Eapropter idem Vasques, supra citatus cap. 5. in principio, supponit tanquam certum, quòd, in sua præsertim opinione, non possit Veritas esse

Vasques.

pro-

propriè passio Entis, quod benè notavit Mastr.num. Mastrius.
129. addens, quòd, si Veritas in rebus esset tantùm denominatio extrinseca, non modò Entibus realibus, sed & entibus rationis, conveniret, quod quis non videat falsum.

178 Objicies tertiò pro AA. tertiæ sententiæ. Primaria ratio Veritatis transcendentalis debet peti per comparationem ad primam regulam, & mensuram omnino infallibilem; sed intellectus Divinus est prima regula, & mensura omnino infallibilis: ergo Veritas transcendentalis consistit formaliter in conformitate cum cognitione intellectûs Divini. Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, distinguendo minorem: intellectus Divinus est prima regula, & mensura omnino infallibilis, respectu Veritatis manifestativæ sui, concedo minorem: respectu Veritatis sumptæ in se, sive in essendo, nego minorem, & consequentiam. Verum est, quòd intellectus Divinus sit prima regula, & mensura omnino infallibilis Veritatis manifestativæ sui; cùm enim creaturæ habeant ab æterno esse resultativum in Deo, ex quo Essentia Divina illas continet eminenter, important intelligibilitatem primariò ad intellectum Divinum, quam ad intellectum creatum, tanquam ad primum intellectivum, in quo nulla potest reperiri falsitas. Ast in præsenti non loquimur de Veritate transcendentali manifestativa sui, sed de Veritate transcendentali sumpta in se, sive in essendo, quæ reperitur in rebus, absque ordine ad intellectum Divinum, sive antecedenter ad talem ordinem, & hæc proximè stat in adæquatione, & conformitate cum propria rei essentia, ut supra dicebam.

179 Objicies quartò pro AA. quartæ sententiæ. Veritas transcendentalis consistit formaliter

in conformitate, quam Ens quodlibet natum est habere ad intellectum: ergo non in alia quacumque conformitate. Probas antecedens. Veritas formalis consistit in conformitate objecti interni cum externo: ergo Veritas transcendentalis consistit formaliter in conformitate, quam Ens quodlibet natum est habere ad intellectum. Antecedens est certum. Probas consequentiam. Non datur maior ratio, cur veritas formalis consistat in illa conformitate, & non in ista Veritas transcendentalis, præsertim, cùm Veritas ut sic univocè dicatur de utrâque: ergo. Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Ad probationem nego antecedens. Maior ratio est: quia veritas formalis est veritas illa, secundùm quam propositio dicitur vera; propositio autem non dicitur vera, nisi objectum internum ipsius actus (v. g. *Petrus est animal*) conformetur cum externo. Ast Veritas transcendentalis est Veritas entitativa, hæc autem, cùm sumatur in se, sive in essendo, nullum dicit respectum ad intellectum, quapropter non potest formaliter consistere in conformitate rei ad cognitionem. Unde solùm currit paritas cognitionis formalis ad transcendentalem, si hæc sumatur quatenùs est manifestativa sui, tunc enim dicit conformitatem rei ad cognitionem; cæterùm de eâ ita sumptâ non est in præsenti sermo. Ad illud, quòd Veritas ut sic dicatur univocè de veritate formali, & Veritate transcendentali, dico, non esse verum, maximè si Veritas transcendentalis sumatur in se, sive in essendo.

Mastrius. 180 Instabis ex Mastrio, ubi supra citato. Intellectus dicitur verus formaliter in repræsentando, quando rem intelligit, sicut est aparte rei: ergo, econversò, res quoque Vera dicetur in essendo formaliter,

maliter, eò præcisè, quia intelligitur ſicut eſt, vel ſaltem ſic apta nata eſt intelligi. Reſpondeo ad inſtantiam, conceſſo antecedente, negando conſequentiam. Diſparitas eſt: quia intellectus nihil habet, ex quo dicatur verus formaliter in repræſentando, antecedenter ad rem intellectam, ut per ſe patet. At res antequam intelligatur ſicut eſt, vel apta nata ſit intelligi, habet conformitatem ad ſua principia conſtituentia, idcirco ab iſta conformitate dicitur Vera in ſe, tanquam ex primaria ratione. Hæc pro AA. relatis ſufficiunt argumenta. Cætera ſolvuntur ex dictis, maximè ſi præ oculis ſemper habeatur differentia veritatis manifeſtativæ ſui à Veritate in eſſendo.

181 Objicies quintò, & directè contra reſolutionem. Si Veritas tranſcendentalis conſiſteret in conformitate rei exiſtentis ad ſua principia conſtituentia, ſive ad ſuam eſſentiam, ſequeretur, quòd Veritas tranſcendentalis eſſet tantùm ab intellectu fabricata; hoc non dices: ergo neque id, ex quo ſequitur. Probas ſequelam maioris Relatio ejuſdem ad ſe ipſum eſt merus reſpectus fabricatus ab intellectu; ſed ſi Veritas tranſcendentalis conſiſteret formaliter in conformitate rei exiſtentis ad ſua principia conſtituentia, ſive ad ſuam eſſentiam, conſiſteret formaliter in relatione ejuſdem ad ſe ipſum: ergo ſequeretur, quòd Veritas tranſcendentalis eſſet tantùm ab intellectu fabricata. Maior eſt certa. Probas minorem. Principia conſtituentia, ſive eſſentia, & res ipſa exiſtens idem ſunt: ergo ſi Veritas tranſcendentalis conſiſteret formaliter in conformitate rei exiſtentis ad ſua principia conſtituentia, ſive ad ſuam eſſentiam, conſiſteret formaliter in relatione ejuſdem ad ſe ipſum.

182 Reſpondeo ad objectionem negando ſeque-

ſequelam maioris. Ad probationem, conceſſâ maiore, nego minorem. Ad probationem diſtinguo antecedens: principia conſtituentia, ſive eſſentia, & res ipſa exiſtens idem ſunt, in eſſentia, cõcedo antecedens: in eſſendo, nego antecedens, & conſequentiam. Ad intelligentiam ſolutionis recolenda ſunt ea, quæ adduxi ex Bacconio circa diſtinctionem gradualem inter eſſentiam, & exiſtentiam, tum in Compendio pro Diverſo, & Eodem diſp. 2. ſect. 2. q. 1. tum tom. 2. tract. 1. diſp. 1. ſectione 1. q. 8. ubi dixi, rem in eſſendo differre realiter gradualiter à ſe ipſa in eſſentia.

183 Igitur, cùm in præſenti agamus de Veritate rei in eſſendo, & hæc diſtinguatur realiter gradualiter à ſe ipſa in eſſentia, non ſequitur, quod Veritas tranſcendentalis rei conſiſtat formaliter in relatione, ſive reſpectu ab intellectu tantùm fabricato, tametſi conſtituatur formaliter per conformitatem ad ſua principia conſtituentia, ſive ad ſuam eſſentiam; quia inter Veritatem tranſcendentalem rei in eſſendo, & prædicata conſtituentia ipſam, ſive eſſentiam, intercedit diſtinctio ex natura rei realis, licèt gradualis. Eapropter advertit Mag. Zagaglia ſupra citatus, quòd quando Reſolutus docet, Veritatem tranſcendentalem in eſſendo conſiſtere in adæquatione, ſive rectitudine, quam res habet, quando ita eſt in eſſendo, ſicut eſſentia debet eſſe, ſic intelligendus eſt, videlicet, quòd res ita ponatur in actu exiſtentiæ, ſicut erat eſſentia præcedens in ſtatu eſſendi potentiâ.

Zagaglia.

184 Objicies ſextò, & ultimò. Veritas tranſcendentalis competit non modò Enti creato, ſed etiam Divino; atqui Veritas, quæ competit Enti Divino, non poteſt conſiſtere formaliter in conformitate ad ſua principia conſtituentia, ſive

ve ad ſuam eſſentiam: ergo contra reſolutionem. Maior liquet. Probas minorem. Deus, eſtò ſit Verus, non habet principia in eſſendo, neque illius eſſentia pro aliquo priori ita præcedit exiſtentiam, quòd præſcindat ab illa: ergo Veritas, quæ competit Enti Divino non poteſt conſiſtere formaliter in conformitate ad ſua principia conſtituentia, ſive ad ſuam eſſentiam. Reſpondeo ad objectionem, conceſſâ maiore, negando minorem. Ad probationem, conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Quia etſi Deus non habeat principia in eſſendo, neque eſſentiam cum prioritate ad exiſtentiam, nihilominus habet principia in prædicando, nempè prædicata quidditativa integrantia ejus quidditatem, & licèt ſemper ſit in actu exiſtens, hoc non obſtat, ad hoc ut conformetur cum eſſentia ſua, quatenus hæc excludit impoſſibilitatem, juxta ſuperius prænotata num. 167. Unde ſemper importat Veritatem tranſcendentalem, quæ ex ſolutione ſequentis inſtantiæ meliùs explicabitur.

185 Inſtabis. Stante hac doctrinâ, non explicatur ſecunda Entis proprietas, nempe Veritas ipſa, ſed tantùm quidditas rei, & natura: ergo. Probas antecedens. Hæc doctrina ſtat in eo, quòd res dicatur Vera, quia habet conformitatem ad ſuam eſſentiam, & ſic dicitur Deus Verus, homo Verus &c. ergo ſtante hac doctrinâ, non explicatur ſecunda Entis proprietas, ſed tantùm ipſa rei quidditas, & natura. Reſpondeo ad inſtantiam negando antecedens. Ad probationem, conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Quia eſtò res dicatur Vera, quia habet conformitatem ad ſuam eſſentiam; cùm tamen inter eſſentiam, & exiſtentiam creatam detur diſtinctio realis gradualis, ut ſupra dicebam; per conformitatem rei ad ſuam eſſentiam, non explicatur

plicatur quidditas, sive natura rei, benè verò veritas illius, per hoc, quòd sub gradu existentiæ se habeat sicut sua essentia debet esse; non enim aliter homo est Verus homo, nec cætera Entia creata Vera Entia.

186 In Deo autem aliter est discurrendum; quia in eo non potest præscindi essentia ab existentia, sed nihilominus adhuc salvatur illius Veritas per conformitatem ad suam essentiam; quia cùm conceptus Dei importet esse Primum Ens independens, & esse Purissimum actum à se habentem suam essentiam cum summa necessitate essendi, excludendo semper impossibilitatem, & nunquam actualitatem; & hoc idem importet Deus in actu, benè sequitur quòd in Deo semper salvetur illius Veritas per conformitatẽ ad suam essentiam; in qua conformitate dicimus Veritatem transcendentalem formaliter consistere. Ex iis

187 Deduces, Veritatem transcendentalem Dei non esse respectum ortum ex natura rei ab entitate Dei exercitè, & in actu ad ejus essentiam signatè, sicut se habet Veritas transcendentalis creaturæ, ex quibus sequitur, quòd conceptus generalis Veritatis transcendentalis solùm est communis analogicè Veritati entitativæ Divinæ, & creatæ, quo non obstante, importat utraque respectum ortum ex natura rei in ordine ad intellectum, in quantum ex natura rei utraque est conceptibilis tamquam importans conformitatem, sive rectitudinem cum sua essentia.

SE-

SECTIO III.

De Bonitate transcendentali.

QUÆSTIO UNICA.

In quo consistat Bonitas transcendentalis?

188 RESOLUTIO: Bonitas transcendentalis, quæ est tertia Entis proprietas, consistit formaliter in positivo, videlicet in habitione totius esse, quod spectat ad essentiam rei. Deducitur ex Doctore in 1. dist. 22. q. unica art. 4. § 1. vers. *Item ratio boni*, ubi asse- Baccon. rit, Bonum, ex Phylosopho, idem esse, ac perfectum; & ibidem dist. 23. q. unica art. 1. §. 2. vers. *Item Primus*, ubi inquit, ex eodem, quòd perfectum est id, qnod negat à se ipso carentiam alicujus eorum, quæ suæ naturæ debentur. Tenet resolutionem Mag. Zagaglia tom. 2. tract. 2. disp. 2. sectione 3. § 2. par- Zagaglia. te prima n. 11. ubi in fine docet, quòd hæc sit germana mens Bacconii, quapropter ab omnibus suis debet sustineri. Sed antequam resolutionem probem

189 Prænoto primò, bonum (omissis aliis divisionibus) dividi in bonum honestum, bonum delectabile, & bonum utile: & cùm omne bonum sit conveniens, bonum honestum comprehendit non modò bonum morale, quod est rectæ rationi consentaneum, sed etiam Bonum naturæ, (de hoc agimus) quod ipsi commodum est, præscindendo à delectatione. Bonum delectabile est bonum conveniens tantùm in ordine ad delectationem. Bonum utile est bonum conveniens in ordine ad aliud bo-

num obtinendum, præscindendo ab eo, quòd in se sit consentaneum, commodum, aut delectabile.

190 Prænoto secundò, bonum honestum, delectabile, & utile non semper distingui realiter subjective, benè quidèm formaliter intentionaliter. Non primum, quia amor Dei est bonus simul honestus, delectabilis, & utilis. Benè verò secundum, quia idem amor in ratione boni honesti terminat diversam conceptibilitatem ab amore in ratione delectabilis, & utilis. Unde bonum honestum delectabile, & utile sunt distincta membra conceptibilia, sive sint subjectivè idem, sive non.

191 Prænoto tertiò, bonum delectabile, & utile, qua talia, non esse convertibilia cum Ente, ac per consequens nec ejusdem proprietates. Non primum, quia bonum delectabile solùm est per ordinem ad creaturas sensitivas; tametsi impropriè, sive per analogiam, extendatur etiam ad alias, quæ sensatione, & cognitione carent. Non secundum, quia bonum utile est tale per extrinsecam denominationem à bonitate finis; Bonum autem transcendens est intrinsecum Enti, quod Bonum denominatur. Solùm igitur Bonum honestum, non in genere moris, sed per comparationem ad naturam, est adæquata proprietas, sive passio Entis, quia solùm Bonum honestum naturale est ipsi intrinsecum, & cum ipso convertitur.

192 Prænoto quartò, hoc Bonum naturale idem esse, ac perfectum substantialiter, sive essentialiter. Dico, *essentialiter, sive substantialiter*, quia, *perfectum*, vel dicitur tale integraliter, vel accidentaliter, vel essentialiter, sive substantialiter. Perfectum integraliter est, quod ita est perfectum, ut nullâ careat parte integrali. Sic Petrus constans omnibus membris ipsi debitis dicitur perfectus integraliter;

liter; econversò Paulus, si aliquo careat. Perfectum accidentaliter est, quod habet perfectiones accidentales sibi debitas. Sic substantia cum accidentibus debitis dicitur perfecta accidentaliter. Perfectum verò essentialiter, sive substantialiter est id, quod in ratione substantiæ, sive essentiæ, habet quidquid spectat ad ipsam substantiam, sive essentiam, ita quòd nihil illi desit ad ipsam rationem substantiæ, sive essentiæ, quam habet. Bonum igitur naturale honestum, quod est proprietas, sive passio Entis, & quæ cum ipso convertitur, idem est, ac perfectum substantialiter, sive essentialiter, quod etiam cum omni Ente convertitur; nulla quippe est entitas, quantumvis minima, quæ non habeat quidquid ad suam essentiam spectat. His suppositis,

193 Probo resolutionem, & primo sic: Bonitas transcendentalis, juxta Resolutum supra citatum, idem est, ac perfectum, ibi: *Secundum Philosophum bonum, & perfectum idem est*; sed perfectum consistit formaliter in positivo, etiam stante doctrinâ Resoluti: ergo juxta hanc doctrinam Bonitas transcendentalis consistit formaliter in positivo. Major liquet Probo minorem. Perfectum (substantialiter acceptum, vel etiam accidentaliter) juxta Resolutum, ubi supra secundò citatum, est id, cujus non est extra aliquid accipere, idest, ut exponit Mag. Zagaglia, ubi sup. quod negat à se ipso carentiam alicujus eorum, quæ suæ essentiæ debentur; sed quod negat carentiam est formaliter positivum, etiam ex Resoluto in 1. dist. 3. q. 2 art. 1. vers. *Contra*, ibi: *quod negat negationem ponit positionem*: ergo perfectum consistit formaliter in positivo, etiam stante doctrinâ Resoluti.

Baccon. Zagaglia. Baccon.

194 Secundo sic: Bonitas transcendentalis consistit in habitione totius esse, quod spectat ad

 essen-

essentiam rei: sed ista habitio est formaliter aliquid positivum: ergo Bonitas transcendentalis consistit formaliter in positivo. Probo minorem, de quâ tantùm dubitari potest. Bonitas transcendentalis est perfectio; sed neque est perfectio integralis, neque accidentalis: ergo est perfectio essentialis, quæ consistit in habitione totius esse, quod spectat ad essentiam rei Maior liquet ex eo, quòd perfectio sit affectio Entis; sed hæc non importatur per unitatem, neque per veritatem, ut omnes fatentur: ergo per Bonitatem; adeoque Bonitas transcendentalis est perfectio. Probo minorem. Nec perfectio integralis, nec accidentalis reperitur semper in omni Ente, ut discurrenti patebit; sed Bonitas transcendentalis convenit omni Enti: ergo Bonitas transcendentalis neque est perfectio integralis, neque accidentalis; Igitur &c

195 Tertiò sic: Bonitas transcendentalis non consistit formaliter in negativo: ergo consistit formaliter in positivo. Probo antecedens. Si consisteret formaliter in negativo, præsertim, quia negat carentiam alicujus perfectionis sibi debitæ; sed negatio carentiæ, sive negatio negationis, potius est affirmatio, quàm formalis negatio: ergo Bonitas transcendentalis non consistit formaliter in negativo. Hæc ratio melius constabit ex solutione primæ objectionis, & corroboratur authoritate Resoluti sup. adducta n. 193. in fine.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

Fonseca. Faber. Mastrius.

196 NOstræ resolutioni opponuntur Fonseca, & Faber, quos citat Mastrius disp. 5 Metaph. q. 10. n. 246. vers *Quidam*, quatenùs per solam negationem imperfectionis constituunt

tuunt Bonitatem tranſcendentalem. Opponuntur etiam Capreolus, Javellus, Faſollus, Mag. Blaſius à Conceptione, & Suarius Granatenſis, quos citat Mag. Zagaglia tom. 2. tractatu 2. diſp. 2. ſectione 3. §. 2 num. 8. quatenus aſſerunt, Bonitatem tranſcendentalem conſiſtere in conveniente. Opponuntur etiam Mag. Bona ſpes tractatu ultimo Metaph. diſp. 2. dubio 3. Suarius Luſitanus Metaph. tractatu 1. diſp. 1. ſectione 5. § 2. n. 93. & communiter Thomiſtæ, quatenus defendunt, Bonitatem tranſcendentalem ſtare formaliter in amabili, ſeu appetibili. Quam ſententiam tenet ex parte Maſtrius, ibi ſup. proxim è citatus n. 265. ubi citat Scotum, & commune Phyloſophorum, & Theologorum. Opponitur etiam Paſqualig. Metaph. tom. 2. diſp. 73. ſectione 5. concluſione 1. ubi Bonitatem tranſcendentalem conſtituit per participationem Bonitatis Divinæ. Pro his omnibus, & imprimis pro AA. primæ ſententiæ

Capreol. Javellus. Faſſolus. Blaſius. Suarius. Zagaglia. Bona ſpes Suarius Luſitan. Maſtrius. Scotus. Paſqual.

197 Objicies primò. Bonitas tranſcendentalis conſiſtit formaliter in negativo: ergo non conſiſtit formaliter in poſitivo. Probas antecedens. Bonum commune omni Enti idem eſt, ac perfectum, præſertim eſſentiale; ſed perfectum conſiſtit formaliter in negativo: ergo & Bonitas tranſcendentalis. Maior conſtat ex ſupra dictis. Probas minorem ex Ariſtotele lib. 5. Metaph. cap. 16 ubi perfectum ſic definit: *Quod non eſt ullam accipere particulam*, id eſt, *cui nihil deeſt*: ergo perfectum conſiſtit formaliter in negativo. Reſpondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem, conceſſâ majore, nego minorem. Ad probationem per textum Ariſtotelis dico, ex tali textu potiùs colligi perfectum conſiſtere formaliter in poſitivo; nam ſenſus definitionis eſt: quòd perfectum ſit id, extra quod non eſt ullam accipere particulam. Unde negat à

Ariſtot.

ſe

se ipso carentiam alicujus eorum, quæ suæ essentiæ debentur; cùm autem negatio negationis, sive carentiæ, sit formaliter positivum, in hoc consistit perfectum, ac per consequens Bonum transcendentale. Solutio patet ex supra dictis n. 193.

198 Objicies secundò pro AA. secundæ sententiæ. Bonitas transcendentalis consistit formaliter in conveniente: ergo non consistit formaliter in habitione totius esse, quod spectat ad essentiam rei. Probas antecedens. Omne Bonum in ipsa ratione Boni est conveniens. Sic Deus est Bonus, quia conveniens creaturis, substantia Bona, quia conveniens accidentibus, accidens Bonum, quia conveniens substantiæ panis Bonus, quia conveniens homini: ergo Bonitas transcendentalis consistit formaliter in conveniente. Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem distinguo antecedens: Omne Bonum in ipsa ratione Boni est conveniens, ita quòd talis convenientia spectet ad secundarium conceptum Bonitatis, concedo antecedens: ita quòd sit de primario Bonitatis conceptu, nego antecedens, & consequentiam. Igitur non negamus, quòd omne Bonum sit conveniens, maximè si sit sermo de Bono alteri. Cæterùm primarius conceptus Bonitatis stat in illa ratione, quâ Bonum est tale in se, nempè in habitione totius esse, quod spectat ad essentiam rei, ex quâ resultat illa convenientia, tamquam conceptus secundarius ipsius Bonitatis.

199 Objicies tertiò pro AA. tertiæ sententiæ. Bonitas transcendentalis consistit formaliter in appetibili: ergo non consistit formaliter in habitione totius esse. Probas antecedens. Omne Bonum in ratione Boni est appetibile: ergo Bonitas transcendentalis consistit formaliter in appetibili. Probas

bas antecedens. Bonum, vel est honestum, vel delectabile, vel utile; sed honestum est appetibile à rationali, delectabile ab animali, & utile est appetibile ad consequendum finem: ergo omne Bonum in ratione Boni est appetibile. Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem distinguo antecedens: omne Bonum in ratione Boni est appetibile, ita quòd esse appetibile ei conveniat consecutivè, concedo antecedens: ita quòd ei conveniat ex primario conceptu Boni, nego antecedens. Ad probationem, concessâ maiore, & applicatâ distinctione minori, distinguo consequens, modo dicto Solutio patet ex supradictis, ex quibus constat, quòd primarius conceptus Bonitatis transcendentalis est sola habitio totius esse, quod spectat ad essentiam rei, & præcipuè ex fundamento tertio resolutionis, ex quo sequitur, cætera omnia, quæ in Bono reperiuntur, & considerantur, spectare ad conceptus secundarios, & habere se consecutivè ad primarium conceptum; quia in tantùm Bonum est appetibile, conveniens &c. in quantùm est perfectum in se essentialiter.

200 Objicies quartò pro Pasqualigo supra laudato. Bonitas transcendentalis consistit formaliter in participatione Divinæ Bonitatis in genere indeterminato: ergo non in habitione totius esse, quod spectat ad essentiam rei. Respondeo ad objectionem negando antecedens; quia Bonitas transcendentalis præcedit Divinam Bonitatem prioritate logica, non minus ac Ens ut sic Deum, & creaturam. Quare tantùm abest, quòd Bonitas transcendentalis sit participatio Divinæ Bonitatis, quinimò, econtra, Bonitas Divina participat Bonitatem transcendentalem, tamquam ejus species. Sic impugnat Mastrius Pasqualigi sententiam disp. 5. Metaph. q. 10. n. 249. Pascalig. Mastrius.

201 Obji-

201 Objicies quintò, & directè contra resolutionem. Bonitas transcendentalis est proprietas, sive passio Entis; sed habitio totius esse, quod spectat ad essentiam rei, non est proprietas, sive passio Entis: ergo Bonitas transcendentalis non consistit formaliter in illa habitione. Maior est certa. Probas minorem. Habitio totius esse, quod spectat ad essentiam rei est complementum, seu integritas rei; sed complementum, seu integritas rei non est proprietas, sive passio Entis: ergo habitio totius esse, quod spectat ad essentiam rei, non est proprietas, sive passio Entis. Maior liquet. Probas minorem. Complementum, seu integritas rei pertinet formaliter ad rem ipsam, cujus est complementum, & integritas: ergo non ad proprietatem, sive ad passionem ejus, ac per consequens non est proprietas, sive passio Entis.

202 Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem. Ad probationem concessâ etiam maiore, nego minorem. Ad probationem distinguo antecedens: complementum, seu integritas rei pertinet formaliter ad rem ipsam, cujus est complementum, & integritas, tamquam conceptus secundarius, & proprietas ipsius rei, concedo antecedens; tamquam conceptus primarius, & quidditativus, nego antecedens, & consequentiam. Igitur conceptus primarius, & quidditativus rei est conceptus talis, vel talis naturæ, ex quo consequitur habitio omnium, quæ sibi debentur, in qua habitione stat formaliter ratio Bonitatis transcendentalis, non quod distinguatur realiter physice, nec formaliter in esse absoluto ab Ente, sive ab essentia rei, sed tantùm formaliter intentionaliter per ordinem ad intellectum, secundùm diversam repræsentabilitatem, secundùm quam diversimode concipitur,

cipitur, utî ſupra de cæteris proprietatibus diximus.

203 Objicies ſextò, & ultimò. Si Bonitas tranſcendentalis conſiſteret formaliter in habitione totius eſſe, quod ſpectat ad eſſentiam rei, non diſcriminaretur à veritate tranſcendentali; ſed diſcriminatur, tanquam diverſa Entis proprietas: ergo Bonitas tranſcendentalis non conſiſtit formaliter in habitione totius eſſe, quod ſpectat ad eſſentiam rei. Probas aſſumptum. Veritas tranſcendentalis conſiſtit formaliter in adæquatione, ſeu in conformitate rei exiſtentis ad ſua principia conſtituentia, ſive ad ſuam eſſentiam; ſed conceptus habitionis totius eſſe, quod ſpectat ad eſſentiam rei, in quo ſtat ratio formalis Bonitatis tranſcendentalis, non diſcriminatur à conceptu adæquationis, ſeu conformitatis rei exiſtentis ad ſua principia conſtituentia, ſive ad ſuam eſſentiam: ergo ſi Bonitas tranſcendenlis conſiſteret formaliter in habitione totius eſſe, quod ſpectat ad eſſentiam rei, non diſcriminaretur à veritate tranſcendentali.

204 Reſpondeo ad objectionem negando aſſumptum. Ad probationem, conceſſâ maiore, nego minorem. Quia veritas minus dicit, quàm Bonitas, eſtò videatur idem conceptus utriusque. Conceptus enim veritatis tranſcendentalis conſiſtit formaliter in adæquatione, ſive in conformitate in eſſendo ad ſuam eſſentiam ſub ſtatu poſſibilitatis, præſcindendo ab eo, quòd eſſentia habeat totum eſſe, quod ſpectat ad ipſam, & quòd extra eam nihil ſit accipere. Conceptus verò Bonitatis tranſcendentalis ab hoc non præſcindit, ſed dicit habitionem totius eſſe, quod ſpectat ad eſſentiam rei, ita quòd importet negationem carentiæ alicujus perfectionis ſibi debitæ. Idcirco alius eſt conceptus veritatis tranſcendentalis, alius Bonitatis. Ex dictis

205 Deduces Bonitatem tranſcendentalem formaliter, & directè importare perfectionem, quam Ens de ſuo primario conceptu non importat. Ratio eſt manifeſta; quia Bonitas tranſcendentalis formaliter, & directè importat habitionem omnium, quæ rei debentur ſecundùm ſuam eſſentiam, in quo ſtat conceptus perfectionis; hunc autem non importat Ens de ſuo primario conceptu, ſed tantùm importat, quòd non habet repugnantiam ad eſſe, ſive ad exiſtere. Hæc pro Entis proprietatibus.



DIS-

DISPUTATIO III.

De præcipuis Entis divisionibus, & de Ente Divino in particulari.

SECTIO I.

De præcipuis Entis divisionibus.

QUÆSTIO UNICA:

Quotuplex sit Ens?

206 RESOLUTIO: Ens vel est reale, vel rationis. Reale dividitur primò in actum, & potentiam, tanquam per suas differentias ex æquo dividentes totam latitudinem Entis realis. Ita expressè Bacconius in 2. dist. Baccon. 36. q. unica art. 3. vers. *Tunc ad formam quando*, ibi: *Impossibile est esse compositum sine primis differentiis entis, quæ sunt actus, & potentia.* Primum extremum comprehendit omnem actum, etiam omnino purum, nempe Deum Optimum Maximum. Secundum omnem potentialitatem, & ipsam puram potentiam, scilicet materiam primam. Hinc patet, divisionem Entis in increatum, & creatum, in independens, & dependens, in spirituale, & corporeum, supponere illam primam divisionem.

207 Dividitur etiam Ens (omissis aliis divisionibus, de quibus multi pro lixè agunt) in completum, & incompletum. Completum communiter dicitur illud, quod non ordinatur ad componendum

cum alio; econtrariò verò incompletum. Verùm melius dicendum cum Magistris Blasco, & Garcia, Ens completum esse, cui nihil debitum deficit; incompletum autem esse, cui deficit aliquid debitum. Unde Ens completum substantiale est Ens habens omnem substantiam sibi debitam, ut homo habens corpus, & animam; & quodlibet totum habens materiam, & formam. Ens completum accidentale est Ens habens omne accidens sibi debitum, ut ignis v. g. calorem habens, & lucem. Econversò, Ens incompletum substantiale Ens est, cui aliqua deficit substantia debita, ut materia tantùm, vel forma tantum. Et Ens incompletum accidentale Ens est, cui aliquod deficit accidens debitum, ut ignis lucens, cui deficeret calor. Obiter advertendum, dari etiam Ens tantùm integraliter incompletum, ut homo v. g. cui pars aliqua corporis deficeret. Notandum ulterius, Ens substantiale completum sumi posse vel in esse naturæ, vel in esse suppositi. In esse naturæ non solùm est Ens compositum ex substantiis sibi debitis, ut supra dicebam, verùm etiam potest esse simplex, cui nulla alia debeatur substantia, ut Angelus, & Empyreum in sententia Resoluti. Completum autem in esse suppositi est Ens coalescens ex natura completa, & gradu subsistentiæ.

Blasco. Garcia.

208 De Ente accidentali tria docet Mag. Blasco tom. 1. l. 4. dist. 13. q. 6. art. 1. n. 153. Primum: Accidens separatum esse essentialiter incompletum, quatenus exigit uniri cum substantia ad efficiendum concretum accidentale. Secundum: Accidens unitum esse completum. Tertium: Accidens consideratum secundùm se in abstracto completum etiam esse, saltem metaphysicè; cùm sit species accidentis in communi, de quo novem genera accidentium prædicantur. Id tantùm superest, ut de Ente ratio-

Blasco.

rationis aliqua dicamus: Verùm nihil ultra dicendum judico nisi, quod sit Ens intentionale, reale quidem, si sumatur ut proprietas resultans ab esse physico; chimæricum verò, si pro ente involvente contradictionem, seu repugnantiam ad existendum accipiatur. De Ente intentionali reali obiter, & commodè egimus in Logica tractatu 2. disp. 2. sectione 1. q. 2. De ente chimærico prolixe, & inutiliter disputant plerique RR.

SECTIO II.

De Ente Divino.

QUÆSTIO UNICA.

Quale sit prædicatum ultimò constituens Naturam Divinam Metaphysicè consideratam?

209 RESOLUTIO: Prædicatum ultimò constituens Naturam Divinam Metaphysicè consideratam est sola *Primitas* essentialis, & perfectionalis contractiva (nostro modo concipiendi) intellectualitatis. Ita Doctor in 1. dist 3 q 2. art. 2. ad medium, dicens: Baccon. *Item: ille conceptus, qui convenit Deo secundùm quòd collocatur in perfectissimo genere viventium est perfectior quolibet alio conceptu, & præcisè si conveniat illi cum quodam excessu super omnia, quæ sunt illius generis: sed hujusmodi est conceptus Dei ut intelligentiæ primæ, quia ut intelligentia collocatur in genere viventium per intelligere, quod est perfectissimum vivere (de Anima textu com. 36.) & ut primæ hoc convenit illi per excessum super omnes*

nes

Zagaglia. *nes intelligentias.* M. Zagaglia super præfatum textum: *Quatenus ergo sub ratione formali generica intelligentiæ importat esse intelligentiam primam, tunc ultimò constituitur in esse veluti specifico per talem primitatem, quæ denotat excellentissimum modum sive excessum essentialem in participanda de intellectivitate super omnes alias intelligentias: & illa primitas, sive excellentia essentialis, habet rationem veluti ultimi formalis constitutivi, & per hanc distinguitur à reliquis.* tom. 2. part. 1. disp. 6. sectione 4 §. 1. n 58. prope finem.

210 Ad intelligentiam resolutionis prænoto primò, quòd in Divinis, ex defectu, & imbecilitate intellectus nostri, solemus philosophare proportionali modo, ac in creatis; & cùm in creatis concipiamus prædicata reposita veluti in duabus classibus, ita quòd in prima clase sint prædicata quidditativa, sive essentialia, quæ dicuntur communiter conceptus primarii rei constitutæ, &, (nota) in phrasi Bacconica, gradus perfectionales, utî sunt respectu hominis v. g. vivens, animal, rationale, &c. in secunda verò clase sint prædicata, quæ non sunt quidditativa, seu essentialia, sed tantùm sunt proprietates, sive prædicata emanantia ab essentia rei constitutæ, quæ dicuntur absolutè conceptus secundarii, utî sunt admirativum, resibile, &c. respectu ejusdem hominis; sic, ut dicebam, discurrere solemus in Divinis; quapropter non obstante, quòd Deus sit una simplicissima entitas & formalitas in rei veritate, concipimus ejus prædicata in duabus clasibus reposita; inprima clase prædicata quidditativa, sive essentialia, ut Substantia, Vivens, Spiritus; in secunda attributa, sive proprietates, ut Omnipotentia, Sapientia, Æternitas; nam ipsamet entitas simplex & formalitas absolutè repræsentabilis

bilis eſt intellectui noſtro ſecundùm conceptus primarios, & ſecundarios, ut fuſè explicavi in Compendio pro Diverſo, & Eodem diſp 3. ſectione 2. q. 2. & 3.

211 Prænoto ſecundò, quòd ſicut in creatis v. g. in homine, prædicata conſtituentia Metaphyſicè debent eſſe de claſe illorum, quæ ſunt quidditativa & eſſentialia, ita proportionali modo diſcurrendum de prædicatis illis Eſſentiam Dei Metaphyſicè conſtituentibus. Deinde ſicut homo non conſtituitur ultimò per prædicata tranſcendentalia, nec per illa, quæ ſunt communia aliis ab homine, tametſi ingrediantur etiam conſtitutivum Metaphyſicum hominis, ut ens, ſubſtantia, vivens, animal &c. ita Eſſentia Divina non debet ultimò conſtitui per prædicata tranſcendentia, nec per prædicata communia necdum creaturis, ſed nec communia aliis perfectionibus, ſive prædicatis extra Eſſentiam objicibiliter ſumptam ad intellectum noſtrum. Tandem, ſicut in homine prædicatum ultimò conſtituens Metaphyſicè, contrahit alia prædicata quidditativa, & trahit ipſa ad eſſe ſpeciale humanum, & eſt per quod homo diſtinguitur ab omni non homine; ita ſuo modo prædicatum ultimò conſtituens Metaphyſicè Eſſentiam Divinam, contrahit alia prædicata quidditativa Divina, & quaſi trahit ad eſſe ſpeciale Divinum; & per tale prædicatum debet Eſſentia Divina diſtingui necdum à creaturis, ſed etiam à conceptibus ſecundariis ejuſdem eſſe Divini, ſaltem in eſſe objicibili per ordinem ad intellectum noſtrum. Illud prædicatum in homine eſt rationale; hoc verò in Deo eſt Primitas in gradu intellectualitatis.

212 Prænoto tertiò, gradum intellectualitatis convenire Deo, ſecundùm quod collocatur in perfe-

perfectissimo genere viventium, ita quòd non solùm perfectè habeant similitudinem Dei illæ creaturæ, quæ de hoc gradu participant, sed etiam perfectiùs habeant talem similitudinem illæ, quæ perfectius participant præfatum gradum. Sic Angeli magis sunt imagines Dei, quia in intelligendo perfectiores sunt hominibus. Unde dicebat Augustinus citatus à D. Thoma; apud Mag. Zagagliam ubi sup.
D. August § 2. num 65. vers. *Confirmatur*: *Res, quæ tantùmmodò sunt, nec tamen vivunt, aut sapiunt, non perfectè, sed exiguè sunt ad similitudinem Dei: quæ vivunt, & non sapiunt, paulo amplius participant similitudinem: quæ sapiunt, ita illi similitudine proxima sunt, ut in creaturis nihil sit propinquius.*

213 Prænotò quartò, gradum vitæ intellectualis habere rationem veluti genericam respectu Dei, & intelligentiarum creatarum, ita tamen quòd intelligentiæ creatæ semper sint in potentia non modò intrinsecè in sua entitate, ratione dependentiæ essentialis à Creatore, sed etiam in potentia ad operationes immanentes, imò ad transeuntes, salvâ suppositione, quod essent ab æterno, utî asseruit Aristoteles turpiter errans. Verùm etsi ab æterno moverent orbes, & essent semper in actu, nihilominus adhuc essent in potentia receptiva ad actus immanentes receptibiles in ipsis intelligentiis, tanquam in subjecto. Neque operatio intelligentiarum esset ipsarum substantia. Ita Doctor dicens,
Baccon. quòd (in hoc casu) *non tamen sic* (essent actus puri) *quin essent in potentia ad recipiendum suam operationem, & quin essent in potentia intrinsecè in se ipsis, independendo in essendo à Prima Intelligentia.* In 2. dist. 36. q. un. art. 3. vers. *Tunc ad formam, quando.* Deus verò solus est Intelligentia perfectissima & actus purus, & specialissimus in gradu

actua-

actualitatis, quòd nullo pacto ſit in potentia. Hinc

214 Prænoto quinto, quòd hæc Primitas eſſentialis, & perfectionalis, quæ eſt prædicatum ultimò conſtituens Metaphyſicè Naturam Divinam, nihil aliud eſt, quàm actus omnino purus excellentiſſimus, & ſpecialiſſimus in gradu intellectualitatis, exquo non dicit potentiam tranſmutabilem, neque ad operationes immanentes receptibiles; eſt enim ſua operatio ipſa ſubſtantia. Igitur in hac Primitate (notandum valde) ſive in hac ratione actûs puri involvitur tanquam ratio tranſcendentalis conceptus actus puri per excluſionem potentiæ ad eſſe. Involvitur etiam in conceptu Intelligentiæ Primæ conceptus actus puri per excluſionem eſſendi ab alio cauſaliter, & originativè, qui quidem conceptus, tametſi conveniant Naturæ Divinæ, nequeunt ultimò eam conſtituere Metaphyſicè, eò quòd ſint communes omnibus prædicatis quidditativis. Tandem involvuntur in præfato conceptu omnes conceptus conſtitutivi Naturæ Divinæ Metaphyſicè ſumptæ ab AA. aſſignati per prædicata quidditativa. Cæteri autem modi dicendi, ſeu diſcurrendi pro conſtitutivo Metaphyſico Dei ex aliis capitibus impugnantur, præſertim quando aſſignatur prædicatum aliquod ex illis, quod potiùs debet ſupponere Naturam Divinam Metaphyſicè conſtitutam. His notatis,

215 Probo reſolutionem hoc unico, verùm efficaci fundamento: Solùm illud prædicatum conſtituit ultimò aliquam naturam Metaphyſicè conſideratam, quod contrahit rationem proximam communem, & genericam, ita quòd, poſitâ tali contractione, natura ex ipſo prædicato, & ratione communi conſtituta non ſit amplius contrahibilis ad aliud eſſe ſpecificum; ſed Primitas eſſentialis, &

perfectionalis contractiva intellectualitatis contrahit gradum vitæ intellectualis tanquam rationem proximam communem,& veluti genericam ad Deum, & intelligentias creatas, ita quòd, positâ tali contractione, Natura Divina ex ipsa Primitate, & gradu intellectualitatis constituta, non sit amplius contrahibilis ad aliud esse specificum: ergo sola Primitas, dequa loquimur, est prædicatum ultimò constituens Naturam Divinam Metaphysicè consideratam. Maior est certa, & patet in rationali, quod est prædicatum ultimò constituens Metaphysicè naturam humanam, sive hominem, quippe contrahit animal, quod est genus proximum, ita ut, positâ tali contractione, natura hominis non sit ulterius contrahibilis ad aliud esse specificum.

216. Probo minorem quoad primam partem, nempe, quòd Primitas essentialis, & perfectionalis contractiva intellectualitatis contrahat gradum vitæ intellectualis tanquam rationem proximam communem, & veluti genericam ad Deum, & intelligentias creatas. Gradus vitæ intellectualis participatur à Deo, Angelis, & hominibus, tum juxta authoritatem Augustini supra relatam, tum quia Angeli, & homines sunt imagines Dei quoad intellectivitatem: ergo Primitas essentialis, & perfectionalis contractiva intellectualitatis contrahit gradum vitæ intellectualis tanquam rationem proximam communem, & veluti genericam ad Deum, & intelligentias creatas. Dico, *veluti genericam*; quia talis convenientia solùm est analogica, non univoca.

217 Probo eamdem minorem quoad secundam partem, videlicet, quòd, positâ tali contractione, Natura Divina ex ipsa Primitate, & gradu intellectualitatis constituta non sit amplius contrahibilis

bilis ad aliud esse specificum. Si Natura Divina ex ipsa Primitate, & gradu intellectualitatis contracto esset amplius contrahibilis, prædicatum illud, per quod ulterius contraheretur, haberet rationem differentiæ ultimæ constitutivæ essentialiter, & distinctivæ specificè; sed hoc non: ergo. Maior liquet. Probo minorem. Si prædicatum illud haberet rationem differentiæ ultimæ constitutivæ essentialiter, & distinctivæ specificè, eodem jure gradus intellectualitatis jam contractus per illam Primitatem haberet rationem proximam, & veluti genericam ad Deum, & intelligentias creatas, vel saltem rationem communem aliis prædicatis Divinis; sed neutrum dicendum: ergo.

218 Probo minorem quoad primam partem. Si gradus intellectualitatis jam contractus per illam Primitatem haberet rationem proximam, & veluti genericam ad Deum, & intelligentias creatas, intelligentiæ creatæ (juxta supra exposita) essent actus puri omnino per exclusionem potentiæ, etiam ad actiones immanentes, sicque operationes immanentes intelligentiarum essent ipsarum substantia; sed hoc repugnat intelligentiis creatis: ergo. Probo eamdem minorem quoad secundam partem. Si gradus actualitatis jam contractus per illam Primitatem haberet rationem communem aliis prædicatis Divinis (in esse objicibili ad nostrum intellectum) talis ratio vel esset communis prædicatis Divinis, quæ sunt de prima classe, vel prædicatis Divinis, quæ spectant ad secundam; sed neutrum sustineri potest: ergo.

219 Probo hanc minorem quoad primam partem sic: Si talis ratio esset communis prædicatis Divinis, quæ sunt de prima classe, esset communis Enti Divino, Substantiæ Divinæ, Viventi Divi-

no, cæteriſque prædicatis, factâ cathegoriâ uſque ad Intelligentiam Primam; ſed nulli ex iſtis poteſt talis ratio eſſe communis, cùm omnia hæc prædicata ſint ſuperiora reſpectu Intelligentiæ Primæ. Probo hoc. Idcirco non valet dicere: *Eſt ens: ergo intelligentia. Eſt ſubſtantia: ergo intelligentia. Eſt vivens: ergo intelligentia*, quia talia prædicata, *Ens*, *Subſtantia*, *Vivens*, *&c.* ſunt ſuperiora ad intelligentiam; nam nullum prædicatum inferius poteſt eſſe commune ſuperioribus, bene verò econverſò; atqui etiam *Ens Divinum, Subſtantia Divina*, *Vivens Divinum* ſunt prædicata ſuperiora *ad Intelligentiam Primam*: ergo etiam non valet dicere: *Eſt Ens Divinum: ergo Intelligentia Prima. Eſt Subſtantia Divina: ergo Intelligentia Prima. Eſt Vivens Divinum: ergo Intelligentia Prima*; ac per conſequens gradus intellectualitatis jam contractus per illam Primitatem non habet rationem communem prædicatis Divinis, quæ ſunt de prima claſſe. Probo tandem eamdem minorem quoad ſecundam partem ſic: Prædicata Divina attinentia ad ſecundam claſſem habent conceptibilitatem formaliter diſtinctam ab Intelligentia Prima: ergo ratio Intelligentiæ Primæ non eſt communis ipſis. Igitur ſtat reſolutio.

Proponuntur objectiones, & diſſolvuntur.

Molina. Valentia. Beccanus. Suarius. Albiz. Coninch. Ribadaneyra. Perez. Munieſſa.

220 NOſtræ reſolutioni opponuntur AA. omnes, qui aſſerunt Naturam Divinam Metaphyſicè conſideratam conſtitui ultimò per complexum ex cunctis perfectionibus abſolutis neceſſariis, utî ſunt Molina, Valentia, Beccanus, Suarius Magnus, Albiz, Coninch. Ribadaneyra, Perez, & alii, quos citat Thomas Munieſſa tom. 1. diſp. 5. ſectione 1. in fine, & ſequitur ſectione 6.

Oppo-

Opponuntur etiam illi, qui docent, Naturam Divinam Metaphysicè sumptam constitui ultimò per prædicatum aliquod, per quod differt à non Deo, tametsi tale prædicatum sit commune omnibus Divinis perfectionibus. Ast hujusmodi AA. non conveniunt in eodem discursu; quidam enim sentiunt, hoc prædicatum esse Ens à se. Ita Gillius, Morandus, Recupitus, Oregius, & alii, quos citat Mag Zagaglia, ubi sup. sectione 3. n. 34. quam sententiam tenet Joannes Marin tom. 1. tractatu 1. disp. 1. sectione 6. n. 64. loquendo de Deo contraposito creaturis, etsi n. 65. addat, quòd, si sermo fiat de Essentia Dei contraposita ad alia prædicata, constituatur per Ens à se plenum omni perfectione simpliciter simplici. Alii dicunt, asseitatem omnimodam esse ultimum Naturæ Divinæ constitutivum. Gillius. Morand. Recupit. Oregius. Marin.

221 Alii judicant tale prædicatum esse infinitatem. Ita Argentina, Toletanus, Amicus apud Mag. Zagaglia sectione 2. loci citati num. 11. idem tenent plures Scotistæ cum Scoto dist 8. q. 3 dicente ibi: (apud Mastrium ubi infra citand.) *Ens per essentiam est ipsum esse infinitum, & non aliquid, cui tantùm conveniat ipsum esse, & ideo ex se est hoc, & ex se infinitum, ut quasi perprius intelligatur aliquo modo infinitas ex modis entitatis per essentiam, quam ipsum intelligatur esse hoc.* Cæterùm Mastrius tom. 1. disp. 2. q. 1. vers. *In oppositum*, ad medium, docet ex Smising. infinitatem non esse prædicatum quidditativum Dei, licèt per tale prædicatum, secundùm nostrum modum concipiendi imperfectum, distinguamus Deum primò à creatura: sic interpretatur Scotum, docetque ex eodem, nomen Dei propriissimum significare formaliter existentiam, exquo videtur contendere cum aliis Scotistis, existentiam Dei esse prædicatum constituti- Argentin. Toletan. Amicus. Scotus. Mastrius.

vum

vum Naturæ Divinæ, de quo disputamus.

222 Opponuntur etiam plures alii, præsertim ex Thomistis, qui estò pro ratione primaria differentiali Dei, & ultimò constitutiva assignent specialem aliquam Dei perfectionem in aliqua linea non transcendentalem, nec communem cæteris Dei prædicatis, nihilominus discordant à nobis in prædicato, quod assignant. Quidam tenent, hoc prædicatum esse radicem intelligendi. Ita Curiel, Arrubal, & Philippus à S. Trinitate, quos citat Gonetus tom. 1. tractatu 1. disp 2. art. 1. §. 1. in fine. Albertinus, Borrul, & Godoy apud Muniessam, ubi sup sectione 1 n. 10. Mag. Ildephonsus Michael, Ferre, Carrasco, Illustrissimus Palanco, & alii apud Mag. Paulum à Conceptione.

Curriel. Arrubal. Philippus Albertin. Borrul. Godoy. Ildephonsus. Terre. Carrasco. Palanco-

223 Alii dicunt, tale prædicatum esse ipsum intelligere purissimum, & actualissimum. Ita Nasarius, Gonzales, Joannes à S. Thoma, & alii, quos citat idem Gonetus sup. laudatus, & sequitur §. 5. n. 21. quam sententiam amplectitur Mag Paulus à Conceptione tom. 1. tractatu 1. dubio 3 §. 1. ubi citat Salmaticenses, Mag. Cornejo, & alios. Magister Lumbier tom. 1. dist. 3. q. 5. art. 1. n. 171. asserit, præfatum constitutivum esse actualem intellectionem per modum actûs purissimi à se, qui est intelligens actuale, ex quo videtur non recedere ab hac ultima sententia. Alii docent, esse intellectivum simul & volitivum radicale. Alii tandem, intellectivum, & volitivum actuale. Priorem sententiam tenet Aiosus. Posteriorem Zuniga apud Muniessam, ubi sup. Pro his omnibus, & in primis pro AA primæ sententiæ

Nasarius. Gonzales A'S.Thoma. Gonetus. A' Concept. Salmatic. Cornejo. Lumbier. Aiosus. Zuniga.

224 Objicies primò. Natura Divina Metaphysicè considerata constituitur adæquatè per complexum ex cunctis perfectionibus absolutis necessariis:

cessariis: ergo non constituitur per Primitatem tantùm in gradu, sive in genere actualitatis. Probas antecedens. Natura Divina physicè sumpta constituitur adæquatè per complexum ex cunctis perfectionibus absolutis necessariis, &, juxta Bacconium, etiam ex relativis: ergo etiam per hoc complexum debet constitui adæquatè Natura Divina Metaphysicè considerata. Antecedens est certum, maximè in sententia Bacconii. Probas consequentiam. Essentia Metaphysica Dei est Essentia Metaphysica essentiæ physicæ ipsius Dei: ergo si essentia physica adquatè sumpta consistit in tali complexu, ita & Essentia Metaphysica.

225 Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Ad probationem, concesso etiam antecedente, nego consequentiam. Quia tametsi Essentia Metaphysica Dei sit Essentia Metaphysica essentiæ physicæ ipsius Dei, est Essentia Metaphysica considerata per modum generis, & differentiæ, exquo tantùm sequitur, quòd omnia prædicata inclusa in complexo physicè considerato, seu ad instar complexi physici, reducantur ad conceptum Metaphysicum, & definitivum per genus, seu quasi genus, & differentiam ultimam Metaphysicè constitutivam. Dicimus autem, hanc ultimam differentiam in Deo esse Primitatem supra expositam.

226 Instabis. Natura Divina, etiam Metaphysicè considerata, debet adæquatè constitui per conceptum perfectissimum; sed conceptus perfectissimus est conceptus complexi ex omnibus perfectionibus Divinis: ergo per talem conceptum debet adæquatè constitui Natura Divina Metaphysicè considerata. Maior liquet. Probas minorem. Conceptus,

ceptus,

ceptus, cui nulla perfectio deficit, est conceptus perfectissimus; sed complexum ex omnibus perfectionibus est conceptus, cui nulla perfectio deficit: ergo conceptus perfectissimus est conceptus complexi ex omnibus perfectionibus Divinis

227 Respondeo ad instantiam distinguendo maiorem: Natura Divina Metaphysicè considerata debet adæquatè constitui per conceptum perfectissimum se habentem per modum generis, & differentiæ, concedo maiorem: aliter, nego maiorem. Deinde distinguo minorem: sed conceptus perfectissimus est conceptus complexi ex omnibus perfectionibus Divinis; conceptus perfectissimus spectans ad lineam physicam, concedo minorem: spectans ad lineam Metaphysicam, nego minorem. Ad probationem distinguo maiorem: conceptus, cui nulla perfectio deficit physicè, sive identicè, est conceptus perfectissimus rei physicè etiam spectatæ, concedo maiorem: conceptus, cui nulla perfectio deficit Metaphysicè, est conceptus perfectissimus rei sumptæ etiam Metaphysicè, nego maiorem. Deinde, concessa minore, distinguo consequens ut sup.

228 Igitur Natura Divina Metaphysicè accepta debet constitui adæquatè per conceptum quidem perfectissimum, sed per modum generis, & differentiæ, ita quòd tali conceptui nihil perfectionis physicè deficiat, idest, quòd totum esse physicum repositum sit in linea Metaphysica, inqua per genus, & differentiam definiatur. Ast non obstat conceptui perfectissimo, quòd ei deficiat aliquid de linea Metaphysica, putá proprietates, imò, cùm conceptus perfectissimus sit conceptus rei Metaphysicè constitutæ, tales proprietates debent supponere rem adæquatè constitutam Hoc patet in conceptu Metaphysico constitutivo hominis respectivè ad resi-

resibile, & admirativum. Proportionali igitur modo de Deo discurrendum.

229 Replicabis: Ergo conceptus adæquatus constitutivus Naturæ Divinæ Metaphysicè sumptæ est complexum ex omnibus perfectionibus Divinis saltem quidditativis: ergo non stat in sola Intelligentia Prima. Respondeo ad replicam distinguendo primum illatum: est complexum ex omnibus perfectionibus Divinis saltem quidditativis, sumptis omnibus per modum generis, & differentiæ, ita quòd sola Primitas sit ultima differentia contrahens reliqua omnia prædicata quidditativa, modo supra explicato, & infra explicando n. 254. concedo illationem: aliter, nego illationem. Deinde nego aliam. Quia sola Intelligentia Prima est adæquatus conceptus Naturæ Divinæ Metaphysicè acceptæ, sive per modum generis, & differentiæ.

230 Objicies secundò pro AA. secundæ sententiæ. Deus per esse à se distinguitur ab omni non Deo: ergo sola asseitas est prædicatum ultimò constituens Naturam Divinam Metaphysicè sumptam. Antecedens est de Fide. Probas consequentiam. Semel quòd homo distinguatur per rationale ab omni non homine, sequitur, quòd solum rationale sit prædicatum ultimò constituens naturam humanam Metaphysicè sumptam: ergo semel quòd Deus per esse à se distinguatur ab omni non Deo, sequitur, quòd sola asseitas sit prædicatum ultimò constituens Naturam Divinam, etiam Metaphysicè.

231 Respondeo ad objectionem, concesso antecedente negando consequentiam. Ad probationem, concesso etiam antecedente, nego consequentiam. Disparitas est: quia rationale est primũ distinctivũ, & constitutivum hominis purè Metaphysicè considerati: deinde non transcendit alia hominis prædica-

ta. Ast prædicatum constitutivum Naturæ Divinæ, de quo disputamus, debet esse prædicatum constituens Naturam Divinam non purè Metaphysicè, sed Metaphysicè Theologicè, ideft, non solùm debet esse prædicatum quidditativum Dei, per quod Deus distinguatur ab omni non Deo, sed prædicatum per quod contraponatur Natura Divina aliis Dei perfectionibus juxta modum loquendi communem SS. PP. & Theologorum. Cùm autem Natura Divina per asseitatem non contraponatur cæteris perfectionibus Dei; siquidem omnes sunt à se, quatenus excludunt principium causalitatis, idcirco in asseitate non stat ultimum Naturæ Divinæ constitutivum.
Muniessa. Ut enim observat Muniessa, ubi sup. sect 2 n. 14. omnia attributa, & relationes considerantur ad instar individuorum respectivè ad Ens à se, sicut rationale, animal, resibile, & admirativum respectu entis in communi, quod certò non est ultimum hominis constitutivum.

232 Objicies tertiò pro AA. tertiæ sententiæ, & simul instabis. Saltem omnimoda asseitas non modò distinguit Deum à non Deo, sed etiam contraponit Naturam Divinam cæteris Dei perfectionibus; non enim illas transcendit: ergo saltem hæc est prædicatum ultimò constituens Naturam Divinam Metaphysice Theologicè acceptam. Respondeo ad objectionem negando antecedens. Quia omnimoda asseitas est illa, quæ excludit necdum rationem essendi ab alio causaliter, sed perfectionaliter, virtualiter, & originativè; non igitur alia potest esse asseitas omnimoda, nisi ista, quæ omnibus modis excludit rationes essendi ab alio: & hæc quanvis non transcendat omnes Dei perfectiones etiam attributales, & relativas, nihilominus est communis omnibus perfectionibus, sive prædicatis

dicatis quidditativis, ut infra dicemus n. 258. ex quo non potest ultimò constituere Naturam Divinam sumptam Metaphysicè Theologicè.

233 Objicies quartò pro AA. quartæ sententiæ. Infinitas, sive infinitum, est conceptus perfectissimus, quem de Deo habere possumus: ergo est prædicatum ultimò constituens Naturam Divinam Metaphysice acceptam. Probas antecedens per rationes, quas noster Bacconius objicit sibi, ubi sup. citatus articulo 2. Prima est: *Quod removet omnem imperfectionem, & aggregat omnem perfectionem, videtur facere conceptum perfectissimum; sed hujusmodi est infinitum: ergo &c.* Secunda: *Ratio, sub qua quietatur intellectus, & appetitus, videtur esse perfectissima; illa est ratio infiniti, quia habito infinito, ut infinitum est, nihil restat quærere*: ergo. Tertia: *Illud, quod additur super quamlibet perfectionem in divinis, ita quòd illa sit summa, illud maximè videtur esse ratio perfecta; hujusmodi est infinitum, quia sapientia divina, ex hoc quod est infinita, est summa, & sic de aliis*: ergo. Quarta: *Ratio perquam redditur causa de omnibus in divinis videtur esse perfectissima; hujusmodi est infinitas; quia si quæratur, quare potest creare, dicitur, propter infinitatem potentiæ, & sic de aliis: ergo &c.* Baccon.

234 Respondeo ad objectionem negando antecedens, & consequentiam. Ad primam antecedentis probationem distinguo maiorem: si removeat omnem imperfectionem, & aggreget omnem perfectionem per modum conceptûs substantialis, sive per modum substantiæ, concedo maiorem: si removeat omnem imperfectionem, & aggreget omnem perfectionem per modum conceptûs proprietatis, sive per modum qualitatis, nego maiorem. Deinde distinguo minorem: hujusmodi est infinitum

tum per modum proprietatis & qualitatis, concedo minorem: per modum substantiæ, nego minorem. Unde infinitas, tametsi removeat omnem imperfectionem, & aggreget omnem perfectionem, est conceptibilis per modum qualitatis, & proprietatis consequentis ad Naturam jam constitutam, & ideo nec est conceptus perfectissimus, quem de Deo habere possumus, nec in tali conceptu consistere valet ultimum constitutivum Naturæ Divinæ.

Baccon. Audiendus idem Bacconius vers. *Item: Prædicata*, ibi: *Conceptus etiam, qui convenit rei per se, & primò, est perfectior illo, qui convenit superadditè, quasi proprietas; sed hujusmodi est conceptus Dei, ut substantia, conceptus autem infiniti non est hujus-*

D. Anselm *modi, sed per modum proprietatis. Unde Anselm. Monol. 15. loquens de infinitate, & accidentibus, & spiritu, dicit, istud ultimum: Spiritus solùm videtur substantiam significare; cætera verò substantiæ proprietates.* Ubi supra.

235 Ad secundam distinguo maiorem: ratio, subqua quietatur intellectus, & appetitus, videtur esse perfectissima, si sit ratio, subqua quietatur &c. tanquam ratio, ex cujus cognitione habetur cognitio aliorum, concedo maiorem: sit sit ratio, ex cujus cognitione non habetur aliorum cognitio, nego maiorem. Deinde nego minorem in sensu distinctionis, videlicet, quòd illa sit ratio infiniti; quia aliud est, quòd intellectus quietetur in infinito, eò quòd habeat cognitionem Naturæ Divinæ; & aliud, quòd quietetur in illo, tanquam in conceptu, ex cujus cognitione habetur cognitio ipsius Naturæ. Permisso etiam primo, falsum est secundum; siquidem intellectus ex notitia de Natura Divina, sive de Intelligentia Prima, cognoscit infinitatem Dei, & non econversò. Unde non quiescit

in

in infinitate, tanquam in prædicato, ex cujus cognitione habeatur cognitio prædicati ultimò conſtitutivi, ideoque ratio infinitatis non eſt ratio perfectiſſima in ordine objicibili ad intellectum. Dixi, *permiſſo etiam primo*, videlicet, quòd intellectus quietetur in infinito; quia videtur dicendum, intellectum non quietari, cùm ulterius poſſit inveſtigare, an tale infinitum ſit ſubſtantia, vel accidens, ut obſervavit Mag. Zagaglia, ſive an ſit de genere activorum, omnia potens, ſive omnipotens, ut inquit Mag. de Caſtilla. Zagaglia. De Caſtil.

236 Ad tertiam ejuſdem antecedentis probationem diſtinguo maiorem: illud, quod additur ſuper quamlibet perfectionem in Divinis, ita quòd illud ſit ſumma ratio, illud maximè videtur eſſe ratio perfecta, ſi perfectio addita ſit per modum ſubſtantiæ, concedo maiorem: Si ſit per modum proprietatis, nego maiorem. Deinde diſtinguo minorem: hujuſmodi eſt infinitum per modum proprietatis additæ, concedo minorem: per modum ſubſtantiæ, nego minorem. Ad inſinuatam probationem, nempe, quòd Sapientia Divina ex hoc, quòd ſit infinita, ſit ſumma, & ſic de aliis, diſtinguo: ex hoc, quòd ſit infinita &c. tanquam ratio à poſteriori, concedo: tanquam ratio à priori, nego. Nam ratio à priori, quia Sapientia Divina eſt ſumma, ea eſt: quia eſt actus purus, & independens ab alio, tanquam à cauſa; ex hoc enim ſequitur, quòd à nullo poſſit limitari, ac per conſequens, quòd ſit infinita, & ſic de aliis.

237 Ad quartam diſtinguo maiorem: ratio per quam redditur cauſa de omnibus in Divinis, tanquam ratio à priori, videtur eſſe perfectiſſima, concedo maiorem: tanquam ratio à poſteriori, nego maiorem. Deinde diſtinguo minorem: hujuſmodi

di est infinitas, tanquam ratio à posteriori, concedo minorem: tanquam ratio à priori, nego minorem. Ad insinuatam probationem dico, quòd ratio formalis à priori, quia potest creare, est, quia est Intelligentia Prima, cujus virtus est omnipotens, exquo infinitudo est consequens in esse objicibili ad Naturam constitutam.

238 Instabis. Natura, sive Essentia Divina, non potest objici intellectui, quin objiciatur simpliciter infinita: ergo infinitudo non est consequens in esse objicibili ad Naturam constitutam. Respondeo ad objectionem distinguendo antecedens: Natura, sive Essentia Divina, non potest objici intellectui, quin objiciatur simpliciter infinita radicaliter, concedo antecedens: simpliciter infinita formaliter, nego antecedens, & consequentiam de infinitudine simpliciter formaliter sumpta. Ad perfectam solutionis intelligentiam scire oportet, quòd Natura Divina potest considerari tantùm sub conceptu præciso Divinitatis, vel ut Natura Divina, ita quòd dicat etiam conceptum Naturæ, quo inquo modo consideretur est infinita, quia ratio infinitatis est generalis, & transcendentalis per omnia prædicata Divina, exquo omnia sunt à se, & non ab alio tanquam à causa. Hæc autem ratio infinitatis generalis, & transcendentalis per omne Divinum, se habet veluti infinitas ut sic, & contrahitur, juxta nostrum modum concipiendi, per specialem rationem infinitatis secundùm quid, vel per specialem rationem infinitatis simpliciter. In attributis, & relationibus, quæ tantùm excludunt rationem essendi ab alio causaliter, contrahitur per specialem rationem infinitatis secundùm quid tantùm, sive per infinitatem in certo genere, quatenus tam attributa, quàm relationes ad se trahunt omnes per-

perfectiones, tam actuales, quàm possibiles de tali genere per illarum continentiam eminentialem. Sic Sapientia Divina est infinita secundùm quid, quatenus continet eminenter omnes sapientias creatas, tam actuales, quàm possibiles, & in infinitum illas excedit in se carens fine. Similiter Paternitas Divina est infinita secundùm quid, quatenus eminenter continet omnes paternitates creatas, & creabiles, quas infinitè excedit. In Essentia verò, sive Natura Divina, quæ non modò excludit rationem essendi ab alio causaliter, sed etiam originativè, exquo ipsa est origo, & radix attributorum, & relationum, contrahitur infinitas ut sic per specialiorem rationem infinitatis simpliciter, sive in omni genere, quatenus est fundamentum, & veluti radix omnium attributorum, & relationum.

239 Ex hac doctrina sequitur, quòd si Natura Divina consideretur tantùm secundùm id, quòd dicit Divinitatis, sit quidem infinita per infinitatem transcendentalem. Si verò consideretur, vel objiciatur ut Natura Divina, seu secundùm conceptum Naturæ simul & Divinæ, sit infinita simpliciter; verùm neque hoc pacto objicitur intellectui formaliter infinita, sed infinita simpliciter radicaliter tantùm, quatenus est radix infinitatis formalis, sicut & aliorum attributorum, quæ formaliter sumpta in esse objicibili manent extra conceptum Naturæ Divinæ Metaphysicè constitutæ per sua prædicata quidditativa. Mitto alias objectiones, quæ tantùm intendunt probare infinitatem esse prædicatum Naturæ Divinæ quidditativum; quia, adhuc hoc admisso, non ex eo sequitur, quòd sit ultimum constitutivum, ut ex dictis discurrenti patebit.

240 Obiicies quintò pro AA. quintæ sententiæ. Deus definitur per existentiam: ergo existentia

tentia Dei est ultimum prædicatum constitutivum Naturæ Divinæ. Consequentia liquet. Probas antecedens tum ex illo Exodi 3. *Ego sum qui sum* : tum ex variis authoritatibus SS. PP. qui docent Dei Naturam consistere in ipso esse. Respondeo ad objectionem negando antecedens, & consequentiam. Ad probationem antecedentis per textum Sacræ Scripturæ dico, ex illo solùm inferri, existentiam esse prædicatum quidditativum Dei, seu attinens ad ejus Essentiam, ut adversùs Veteres Scotistas ostendit Mastrius; & ita intelligendi sunt Patres ad idem adducti.

Exod. 3.

Mastrius.

241 Objicies sextò pro AA. sextæ sententiæ. Natura Divina debet proportionaliter constitui per intellectivum, sicut aliæ naturæ intellectuales, videlicet Angelica, & humana; sed istæ constituuntur per hoc, quòd sint radicaliter intellectivæ: ergo Natura Divina debet constitui per radicem intelligendi. Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem: Natura Divina debet proportionaliter constitui per intellectivum, tanquam per rationem genericam, sicut aliæ naturæ intellectuales, concedo maiorem: tanquam per rationem ultimò constitutivam, sive differentialem; nego maiorem. Deinde distinguo minorem: aliæ naturæ intellectuales constituuntur per hoc, quòd sint radicaliter intellectivæ, tanquam per rationem genericam communem omnibus intelligentiis, concedo minorem: tanquam per rationem ultimò constitutivam, sive differentialem, nego minorem, & consequentiam.

242 Verum est, quòd tam Natura Divina, quàm aliæ naturæ intellectuales constituantur per intellectivum radicale, tanquam per rationem genericam, & communem omnibus, exquo in homi-

ne

ne contrahitur per rationalitatem, quæ addit rationem discursivi supra illam communem rationem, in Angelis per peculiares rationes intellectualitatis, in Deo autem per Primitatem excellentiæ. Eapropter intellectivum radicale non potest esse prædicatum ultimò constituens Metaphysicè Naturam Divinam. Unde neque ipsi Thomistæ, qui interse digladiantur, sitne intellectivum radicale, an intelligere actuale, sive actualis intellectio, ultimum Naturæ Divinæ constitutivum, accipiunt nudè intellectivum, benè quidem intellectivum Divinum, exquo manifestè colligitur, quòd ly, *Divinum*, potius habeat rationem differentiæ contractivæ, quàm intellectivum. Cùm autem per ly, *Divinum*, sumptum pro ultimo prædicato Metaphysicè constitutivo, non possit intelligi complexum ex omnibus prædicatis, nec aseitas, nec infinitudo, ut supra ostendimus, opus est investigare, quodnam sit hoc prædicatum, quod per ly, *Divinum*, intelligitur. Dicimus esse Primitatem in gradu ipso intellectualitatis, sive actum omnino purum per contrapositionem ad potentialitates, quæ in aliis intelligentiis reperiuntur, ut supra probavimus. Hinc facile est satisfacere cæteris objectionibus, quas proponunt pro hac sententia AA. præsertim Thomistæ.

243 Objicies septimò pro AA. septimæ sententiæ. Intelligere actuale in Deo est ultima actualitas lineæ intellectivæ: ergo per intelligere actuale debet constitui ultimò Natura Divina Metaphysicè sumpta. Antecedens liquet. Probas consequentiam Natura Divina debet constitui ultimò per actum omnino purum, juxta superius dicta; sed ultima actualitas lineæ intellectivæ est actus omnino purus: ergo si intelligere actuale in Deo est ultima actualitas lineæ intellectivæ, per intelligere

actuale debet constitui ultimò Natura Divina.

244 Respondeo ad objectionem distinguendo antecedens: intelligere actuale in Deo est ultima actualitas lineæ intellectivæ, ultima quasi accidentalis (in esse objicibili ad intellectum) concedo antecedens; ultima essentialis, nego antecedens, & consequentiam. Ad cujus probationem, concessâ maiore, distinguo minorem: ultima actualitas lineæ intellectivæ est actus omnino purus in esse rei, concedo minorem: in esse objicibili, nego minorem; quia objicitur intellectui resultans, tanquam à radice, à Natura jam constituta. Unde nego consequentiam. Ultima actualitas essentialis in linea intelligendi non stat in intelligere Divino, sed in Primitate Intelligentiæ, quam primò concipimus, & ex qua, tanquam à radice, provenit ipsum intelligere actuale.

245 Nec obstat primò, quod Resolutus, ubi supra citatus, doceat, quòd Deus collocetur in genere viventium per intelligere, quod est perfectissimum vivere. Nam, ut benè exponit Mag. de Castilla, sensus non est, quòd constituatur per ipsum intelligere, sed quòd Intelligentia Prima, perquam Natura Divina constituitur, dicat ordinem transcendentalem ad intelligere, tanquam ad terminum ad quem.

De Castil.

246 Nec obstat secundò, quod ex Angelico dicunt Thomistæ, videlicet, quòd Verbum Divinum procedit ut Filius, quia intelligere Dei est esse Dei, exquo identificant formaliter Naturam Divinam cum intelligere, ac per consequens in ipso intelligere ponunt constitutivum Naturæ. Nec obstat, inquam, quia, ut Verbum procedat ut Filius, opus non est, quod intelligere sit Natura Divina formaliter, imò, hoc admisso, sequeretur, quòd

gene-

generatio, & principium generationis essent formaliter idem. Quare, ut Verbum Divinum procedat ut Filius, satis est, quòd originetur ab intellectu, qui ex natura sua est assimilativus, & communicativus Naturæ Divinæ, uti docent nostri Theologi Bacconistæ.

247 Objicies octavò pro AA. octavæ sententiæ. Natura Divina est substantia perfectissima: ergo debet constitui Metaphysicè per intellectivum, & volitivum radicale tanquam per gradus perfectionales vitæ. Respondeo ad objectionem concedendo totum; non enim negamus, quòd ita Metaphysicè constituatur Natura Divina, sicut & per omnia alia prædicata quidditativa, dum hæc omnia implicitè veniunt, posito ultimo constitutivo, nempe Intelligentia Prima, per modum generis, & differentiæ. Unde aliud est, quòd volitivum radicale ingrediatur etiam constitutivum Naturæ Divinæ, quod est verum; aliud, quod sit prædicatum ultimum Metaphysicè constitutivum, quod negamus.

248 Objicies nonò pro AA. ultimæ sententiæ. Non modò intellectivum actuale, sive intelligere in actu secundo, est ultimum de linea intellectiva, sed etiam volitivum actuale, sive velle in actu secundo, est ultimum de linea volitiva: ergo Natura Divina Metaphysicè accepta per utrumque debet ultimò constitui. Respondeo ad objectionem distinguendo antecedens: non modo intellectivum &c. ultimum veluti accidentale, concedo antecedens: ultimum essentiale, nego antecedens, & consequentiam. Est quidem intelligere ultimum lineæ intellectivæ, sicut & velle ultimum lineæ volitivæ; verùm utrumque est veluti accidentale prædicabiliter, quatenus supponit suam potentiam vitalem jam in actu constitutam, quapropter neutrum po-

test constituere Naturam Divinam Metaphysicè sumptam.

249 Objicies decimò & ultimò, & directè contra resolutionem. Primitas, de qua est sermo, non est formalitas distinctiva Naturæ Divinæ; sed formalitas, quæ non est distinctiva Naturæ Divinæ, non potest illam ultimò constituere Metaphysicè: ergo Primitas assignata non est prædicatum ultimò constituens Naturam Divinam Metaphysicè consideratam. Probas maiorem. Primitas illa est formalitas communis cæteris prædicatis quidditativis; sed nulla formalitas communis cæteris prædicatis quidditativis est distinctiva Naturæ Divinæ: ergo præfata Primitas non est formalitas distinctiva Naturæ Divinæ. Probas maiorem. Talis Primitas idem est ac actus omnino purus; sed actus omnino purus est formalitas communis cæteris prædicatis quidditativis: ergo Primitas illa est formalitas communis cæteris prædicatis quidditativis. Maior constat ex sup. dictis. Probas minorem. Præfata ratio actûs puri importatur à Deo, ut est primum ens, ut est prima substantia, ut est primum vivens; sed primum ens, prima substantia, primum vivens sunt prædicata Dei quidditativa: ergo actus omnino purus est formalitas communis cæteris prædicatis quidditativis. Probas maiorem. Primum ens ita est actus purus dicens primitatem in gradu entis, quòd non solùm excludit potentialitatem essendi ab alio causaliter, sed etiam originativè: idem dicendum deprima substantia, & de primo vivente; nam etiam prima substantia dicit primitatem in gradu substantiæ, & primum vivens primitatem in gradu viventis per exclusionem essendi ab alio causaliter, & originativè: ergo præfata ratio actûs puri importatur à Deo, ut est primum ens, prima substantia, primum vivens.

250 Res-

250 Respondeo ad objectionem negando maiorem. Ad probationem nego maiorem. Ad probationem, concessâ maiore, nempe, quòd præfata Primitas sit idem ac actus omnino purus, nego minorem, scilicet, quòd actus omnino purus sit formalitas communis. Ad probationem nego maiorem, quod illa ratio actus puri importetur à Deo, ut est primum ens, prima substantia, primum vivens. Ad probationem, concesso antecedente, quòd primum ens ita sit actus dicens primitatem in gradu entis, quòd non solùm excludat potentialitatem essendi ab alio causaliter, sed etiam originativè; & similiter de prima substantia, & de primo vivente, nego tamen consequentiam.

251 Ratio est: quia estò primum ens ita sit actus purus dicens primitatem in gradu entis per exclusionem potentialitatis essendi ab alio causaliter, & originativè; & similiter prima substantia, & primum vivens, non propterea primum ens est actus omnino purus, nec prima substantia, nec primum vivens; (loquimur semper in esse objicibili ad intellectum nostrum) quia ut primum ens (idem de prima substantia, & de primo vivente) esset actus omnino purus, opus erat, quòd esset actus purus in omni genere; cùm autem solùm sit actus purus in gradu entis, idcirco non est actus purus omnino, prout requiritur ad prædicatum, seu formalitatem ultimò constitutivam Naturæ Divinæ.

252 Instabis. Etiam Primitas essentialis, & perfectionalis contractiva intellectualitatis non est actus purus in omni gradu: ergo etiam non est actus omnino purus, prout requiritur ad prædicatum ultimò constitutivum Naturæ Divinæ. Probas antecedens. Talis Primitas est actus purus in uno gradu; sed actus purus in uno gradu non est actus

purus

purus in omni gradu: ergo talis Primitas non est actus purus in omni gradu. Probas maiorem. Præfata Primitas est Primitas in uno gradu: ergo est actus purus in uno gradu.

253 Respondeo ad instantiam negando antecedens. Ad probationem distinguo maiorem. Talis Primitas est actus purus in uno gradu, includens rationem actûs puri in cæteris gradibus, concedo maiorem: non includens rationem actûs puri in cæteris gradibus, nego maiorem. Deinde distinguo minorem: actus purus in uno gradu non est actus purus in omni gradu, si sit actus purus in gradu superiore non includens rationes actûs puri in gradibus inferioribus, concedo minorem: si sit actus purus in gradu inferiore includens rationes omnes actûs puri in gradibus superioribus, nego minorem. Ad probationem maioris distinguo antecedens: Præfata Primitas est primitas in uno gradu, includens rationem primitatis in cæteris gradibus, concedo antecedens: non includens rationem primitatis in cæteris gradibus, nego antecedens, & iterum consequentiam secundùm distinctionem datam.

254 Igitur hoc intercedit discrimen inter actum purum in gradu entis, substantiæ, viventis, & actum purum in gradu intellectualitatis, quòd ratio actus puri in aliis gradibus est ratio superior ad actum purum in gradu intellectualitatis; ratio verò actus puri in gradu intellectualitatis est ratio inferior ad rationem actûs puri in aliis gradibus: & cùm conceptus superioris sit de conceptu inferioris, & non econversò, uti explicavimus in Logica tractatu 2. disp. 3. sectione 1. q. 2 idcirco actus purus in gradu intellectualitatis, licèt sit actus purus in uno gradu, importat rationem actûs puri in omni gradu superiore, ac perconsequens est actus purus omni-

omnino. Sicut enim ex eo, quòd hæc formalitas ſit intelligentia, ſequitur, quòd ſit ens, ſubſtantia, vivens, & non econtrariò; cùm intelligentia ſit ratio inferior ad ens, ſubſtantiam, & vivens; ſic in propoſito diſcurrendum de actu puro in gradu intelligentiæ ad rationem actus puri in gradibus ſuperioribus.

255 Ex præfata doctrina infertur adverſùs Mag. de Caſtilla in hac quæſtione n. 191. quòd primitas, aſſeitas, actualitas, excellentia, independentia &c. utpote conceptus communes omnibus prædicatis quidditativis, non conſtituunt ultimò Naturam Divinam. Nec obſtat, quòd conceptus entis, ſubſtantiæ, viventis, denique ſpiritualis, omnes ſint communes Deo, & creaturis, non verò primitas, aſſeitas, actualitas, excellentia, & independentia. Nam ex hoc ſolùm ſequitur, quòd priores conceptus ſint univerſaliores poſterioribus, non autem, quòd iſti non ſint conceptus communes prædicatis omnibus Dei; exquo non poſſunt habere rationem ultimi conſtitutivi Metaphyſici Naturæ Divinæ. Opus igitur eſt, quòd ultimum conſtitutivum Naturæ Metaphyſicum non ſolùm ſit actus purus à ſe, excellens, & independens, verum etiam, quòd ita ſit in omni gradu per incluſionem ipſorum, ſive, ut propriè loquar, per identitatem formalem intentionalem ſui conceptus cum conceptu ſuperiorum, modo ſup. expoſito. De Caſtil.

256 Replicabis. Licèt ſit bona iſta argumentatio: *Hæc formalitas eſt intelligentia: ergo eſt ens, ſubſtantia, vivens*; tamen iſta mala eſt: *Hæc formalitas eſt Prima Intelligentia: ergo eſt primum ens, prima ſubſtantia, primum vivens*: ergo non ſtat ſolutio. Probas antecedens. Tametſi ſit bona iſta: *Hæc formalitas eſt animal: ergo eſt ens, ſubſtantia,*

tantia, *&* *vivens*, nihilominus ista est mala: *Hoc est primum animal: ergo est primum ens, prima substantia, primum vivens*: ergo similiter. Antecedens liquet; quia primum animal certò non est primum ens, nec prima substantia, nec pjimum vivens.

257 Respondeo ad replicam negando antecedens Ad probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est: quia, ut aliquid sit primum animal, satis est, quòd in ipso primò reperiatur differentia constitutiva animalis contrahens rationem viventis, idest, quòd sit primum, in quo præfata differentia contrahens vivens reperitur. Unde opus non est, quòd sit primum vivens. Ast, ut aliqua formalitas sit Prima Intelligentia, sumpta ly, *Prima*, in sensu supra explicato, necesse est, quòd sit actus purus omnino, ac perconsequens omnino excellens supra omnes intelligentias; & cùm intelligentiæ omnes sint entia, substantiæ, &c. benè sequitur, quòd Prima Intelligentia dicat excellentiam super talia entia, tales substantias, & cæt. ac per consequens, quòd sit primum ens, prima substantia, primum vivens, semel quòd sit Prima Intelligentia.

258 Urgebis: Ergo prædicatum ultimò constituens Metaphysicè Naturam Divinam consistit in actu puro omnino, idest, in omni gradu: ergo consistit in omnimoda asseitate: ergo Bacconius nihil de novo docet in hac quæstione. Respondeo ad urg. concessâ primâ illatione in sensu supra exposito, negando secundam, & tertiam. Quia licèt actus purus omnino, sive in omni gradu, importet omnimodam asseitatem, non tamen econversò; nam actus purus omnino, & in omni gradu non est prædicatum transcendens per prædicata quidditativa;

nul-

nullum enim, præter Intelligentiam Primam, sive præter Primitatem in gradu intelligendi, est actus omnino purus, seu purus in omni gradu; (loquor in esse objicibili ad nostrum intellectum) ast omnimoda asseitas transcendens est per omnia prædicata quidditativa; quia per asseitatem omnimodam, nihil aliud intelligo, quàm esse à se omnibus modis, idest, per exclusionem potentiæ essendi ab alio, non solùm causaliter, sed etiam originativè; neque enim est in Deo alius modus essendi à se. Cùm autem esse à se istis modis conveniat omnibus prædicatis quidditativis, nempe Enti Divino, Substantiæ Divinæ, Viventi Divino &c. siquidem, ut berè advertit Mag. Zagaglia, ubi supra sectione 1. n. 8. nullum prædicatum quidditativum, etiam inferius, importat continentiam radicalem, sive originativam respectu alterius, idcirco asseitas omnimoda est transcendens per omnia prædicata quidditativa, quod non competit actui omnino puro supra explicato, videlicet actui puro continenti omnes superiores gradus. Ex quo patet quid novi in hac controversia dicat Bacconius. Hinc Zagaglia.

259 Deduces, quòd, cùm definitio debeat dari per illa prædicata, quæ perfectiora, & nobiliora sunt, quæque habent rationem originis omnium aliorum prædicatorum, quæ in re definita reperiuntur, si Deus, qui lucem habitat inaccessibilem, rectè à nobis definiri posset, optimè definiretur per esse Intelligentiam Primam, eò quòd iste sit conceptus perfectissimus, quem ex naturalibus de illo habere possumus, ut inquit Resolutus ubi sup. in principio quæstionis allegatus.

DISPUTATIO IV.

De divisione Entis in decem Prædicamenta.

SECTIO I.

De Prædicamento Substantiæ.

QUÆSTIO I.

Quid sit Substantia?

260 RESOLUTIO: Substantia, dequa est quæstio, nempe prædicamentalis, optimè definitur sic: *Ens perse existens, sive subsistens radicaliter.* Deducitur ex Do-
Baccon. ctore in 1. dist. 8. art. 2. §. 1. vers. *Secundus*, ibi: *Substantia non est prædicamentum ratione, quâ aliqua subsistunt in ea, & quâ aliis subsistat, quod est idem, sed qua subsistit in se.* Tenent Resolutionem
Zagaglia. Mag. Zagaglia tom. 2. p. 1. disp. 5. sectione 1. §. 2.
Aymus. num. 16. Mag. Aymus part. 2. Metaph. dist. 1. vers.
Garcia. *Substantiam* Mag. Garcia Metaph. dist. 2. q. 2. art. 1. §. 3. n. 506. Cæterique Expositores Resoluti, licèt aliqui verbis differant. Definitio est communis inter Thomistas, qui eam deducunt ex D. Angelico 1. p.
D.Thom. q. 3. art. 5. ad primum. Verùm nec D. Thomas, nec Thomistæ eâdem incedunt viâ, qua nostri cum Resoluto. Ad intelligentiam præfatæ definitionis in via Bacconii,

261  Prænoto primò, Substantiam non accipi

cipi in præſenti pro eſſentia; cùm eſſentia aliquando accidentia etiam comprehendat; etenim albedo eſt de eſſentia concreti albi. Nec pro quacumque entitate diſtincta ab accidentibus ſumitur modò Subſtantia, aliàs comprehenderet materiam, & formam Subſtantialem, dequibus hîc non eſt ſermo, eò quòd ſint Subſtantiæ incompletæ. Igitur in præſenti agendum tanrùm de Subſtantia completa, quæ eſt Subſtantia prædicamentalis.

262 Prænoto ſecundò ex obſervatis à Mag. Zagaglia, ubi ſup. citato, Subſtantiam prædicamentalem poſſe conſiderari ſub diverſis gradibus: primò, ſecundùm gradùm eſſentiæ præciſè, ideſt, in potentia, antequam creetur, vel exiſtat: Secundò, ſecundùm gradum exiſtentiæ, ideſt, poſtquam eſt actu creata: Tertiò, ſecundùm gradum ſubſiſtentiæ, ideſt, quatenus eſt incommunicabilis & completa: Quartò, ſecundùm rationem ſubſtandi accidentibus, ideſt, prout recipit actualiter accidentia, & ea ſuſtentat. Subſtantia ſub primo tantùm gradu non conſideratur ut Subſtantia prædicamentalis, quippe eſt incompleta, nec ullam dicit actualitatem. Sub ſecundo gradu conſideratur ut completa tantùm in eſſe individui naturæ; eò quòd ſub tali gradu non ſit formaliter ſubſiſtens. Sub tertio gradu, inquo conſideratur formaliter ſubſiſtens, eſt completa in ratione perſonæ. Unde in ſecundo, & tertio gradu conſideratur ut Subſtantia prædicamentalis; nec eſt neceſſe, quòd ſubſtet accidentibus pro illo inſtanti naturæ, cùm antecedenter, ſive pro priori ad accidentia, jam natura intelligatur completa, modo nuper explicato. Zagaglia.

263 Prænoto tertiò, Subſiſtentiam in ſententia Bacconii eſſe effectum formalem naturæ Subſtantialis, præcontinerique in ipſa originativè. Ex

quo sequitur, quòd pro priori ad ipsam subsistentiam formalem, sive ad naturam formaliter subsistentem, sit natura Substantialis jam constituta in suo esse per subsistentiam, non formalem, sed radicalem; cùm sit jam actu existens, quod in rei veritate idem est, ac radicaliter subsistere. His prænotatis,

264 Probo bonitatem definitionis, & primò sic: Illa est bona definitio, quæ constat genere, & differentia, vel aliquo agente vicem generis, & rationem differentiæ; sed ita se habet nostra definitio: ergo. Maior liquet. Probo minorem. Talis definitio per particulam, *Ens*, ostendit convenientiam Substantiæ cum accidente. Deinde per reliquas particulas non modò assignat differentiam ab accidente, sed etiam ab omni eo, quod non est Substantia prædicamentalis, ut melius ex infra dicendis constabit: ergo constat genere, & differentia.

265 Secundo sic: Talis definitio est juxta mentem SS. Patrum: ergo cæteris definitionibus
D.August præferenda. Probo antecedens. D. Augustinus l. 7. de Trinitate cap. 4. in fine, sic loquitur: *Ab eo, quod*
D. Dam. *est subsistere Substantiam dicimus.* D. Joannes Damascenus Dialect. cap. 39. de Substantia, sic: *Substantia est res per se existens, nec alio ullo, ad hoc*
D. Isidor. *ut sit, opus habens.* D. Isidorus l. 1. Differentiarum cap. 4. sic: *Substantia est id, quod non est ab alio, sed semper ex se est.*

266 Tertiò sic: Dicta definitio explicat optimè constitutivum Substantiæ prædicamentalis per hoc, quòd sit Ens per se existens, sive subsistens radicaliter: ergo. Probo antecedens. Per id explicatur optimè constitutivum Substantiæ prædicamentalis, quo posito, Substantia intelligitur completa, & reposita in recta serie prædicamenti; sed sic intelligitur,

telligitur, ex eo, quòd ſit Ens per ſe exiſtens, ſive ſubſiſtens radicaliter, ut ex ſe clareſcit: ergo.

Proponuntur objectiones, & diſſolvuntur.

267 NOſtræ reſolutioni opponuntur innumeri AA. in varias deſtributi ſententias. Prima docet, Subſtantiam prædicamentalem meliùs definiri per negationem eſſendi in alio; cùm hoc ſit de conſtitutivo Subſtantiæ. Ita Porphyrius in Interrogationibus cap. 1. de Subſtantia, Deuxipus l. 2. quæſtionum cap. 17. Soncin. 5. Metaph. q. 14. & alii Veteres. Secunda tenet, Subſtantiam, dequa loquimur, definiri debere per ſubſtare accidentibus. Ita Boetius, & multi ex Latinis, apud Didacum Maſium ſectione 2. in cap. 1. Categor. q. 6. verſ. *Severinus*. Adverſantur etiam PP. Conimbricenſes, & alii Doctores Societatis dicentes, noſtram definitionem non eſſe eſſentialem. Pro Authoribus primæ ſententiæ Porphyr. Deuxipus Soncin. Boetius. Didacus. Conimbr.

268 Objicies primò. Subſtantia prædicamentalis debet definiri per negationem eſſendi in alio: ergo definitio aſſignata non ſtat. Probas antecedens. Subſtantia prædicamentalis eſſentialiter non eſt accidens: ergo debet definiri per negationem eſſendi in alio. Antecedens eſt certum. Probas conſequentiam. Accidens definitur per hoc, quod ſit in alio: ergo Subſtantia prædicamentalis debet definiri per negationem eſſendi in alio. Reſpondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem diſtinguo, ſeu explico antecedens: Subſtantia prædicamentalis eſſentialiter non eſt accidens, ita quòd non eſſe accidens conſequatur ad primarium Subſtantiæ conceptum, concedo antecedens; ita quòd ſit primarius conceptus Subſtantiæ, nego antecedens,

dens, & consequentiam. Ad probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Quia cùm tam Substantia, quàm accidens sint entitates positivæ, per conceptum positivum pariter definiri debent; negatio enim non est primus conceptus, qui in rebus positivis reperitur, sed propriori ad negationem constitui debet quidquid positivum est, exquo in negatione essendi in alio nequit ita bene consistere definitio Substantiæ prædicamentalis.

269 Objicies secundò. Substantia constituitur in esse Substantiæ per id, quod addit supra Ens; sed quod addit supra Ens non potest esse aliquid positivum: ergo est negatio, per quam debet definiri. Maior ex se claret. Probas minorem. Si illud additum esset aliquid positivum, esset positivum reale; sed positivum reale non potest esse additum Enti; alioquin Ens reale per Ens reale esset coarctatum ad Substantiam: ergo. Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem. Ad probationem, concessâ etiam maiore, nego minorem. Neque obstat insinuata probatio; quia tametsi Ens reale per Ens reale coarctetur ad Substantiam, coarctatur Ens reale in communi per Ens reale signatum, quod jam superabundat Enti in communi, cùm sit extra illius conceptum, & differentia constitutiva Substantiæ, per quam unà cum ratione Entis communi ipsa à nobis definitur.

270 Objicies tertiò pro AA. secundæ sententiæ. Aristoteles cap. de Substantia istam definit per substare accidentibus ibi; *Substantia, quæ propriè principaliter substare dicitur*: ergo sic definiri debet. Confirmabis ex D. Isidoro, hîc communiter allegato, dicente: *Substantia est quæ propriè substare dicitur*: ergo. Respondeo ad objectionem negando antecedens; quia Philosophus, præfato loco, non

Aristot.

D. Isidor.

non definivit Subſtantiam per conceptum ſibi eſſentialem, ſed tantùm eam deſcripſit per proprietatem convenientem Subſtantiæ creatæ.

271 Ad authoritatem D. Iſidori reſpondeo, S. Doctorem locutum ſecundùm etymologiam Subſtantiæ, quæ non eſt ratio urgens ad hoc ut dicamus, Subſtantiam per ſubſtare accidentibus conſtitui. Habemus exemplum vulgare in lapide, qui à ledendo pedem etymologiam ſumpſit, & nihilominus non per id conſtituitur. Accedit quòd D. Iſidorus l. 1. Different. cap. 4. docet, quòd Subſtantia eſt id, quod ſemper ex ſe eſt, ideſt, per ſe exiſtens, ut conſtat ex ſecundo noſtræ reſolutionis fundamento. Unde licèt Subſtantia (creata) etiam ſubſtet accidentibus, id habet ſecundario; primario enim, & principaliter à ſubſiſtentia dicitur. Audiendus Bacconius in 1. diſt. 8. q un. art. 2 §. 1. prope finem: Baccon. *Quando ergo dicis, quòd Subſtantia dicitur ſubjici accidentibus concedo; ſed hoc non excludit, quin etiam dicatur à ſubſiſtentia & principalius etiam; cùm ſua ſubſiſtentia ſit ſibi ratio per quam poteſt aliis ſubjici. Sicut ſecundùm aliquos habitus eſt* (aliquid) *abſolutum principalius, licèt ſit ſimul relativum.*

272 Objicies quartò. Ariſtoteles in hoc cap. docet, primas Subſtantias eſſe magis Subſtantias, quia magis ſubſtant: ergo à ſubſtando definit Ariſtoteles Subſtantiam. Reſpondeo ad objectionem diſtinguendo antecedens: docet primas Subſtantias eſſe magis Subſtantias &c. quantùm ad proprietatem, & exercitium Subſtantiæ, concedo antecedens: quantum ad eſſe eſſentiale Subſtantiæ, nego antecedens, & conſequentiam. Solum primum intendit Ariſtoteles, non ſecundum; non enim definivit, ſed tantùm deſcripſit Subſtantiam, ut ſupra dicebam.

273 Obji-

Conimbr. 273 Objicies quintò pro PP. Conimbricensibus. Definitio Substantiæ supra exposita non traditur per proprium, & rigorosum genus: ergo non est essentialis. Probas antecedens. Traditur per Ens; sed Ens non est genus rigorosum; cùm non sit univocum, sed analogum: ergo non traditur per proprium, & rigorosum genus. Respondeo ad objectionem, concesso antecedente, distinguendo consequens: non est essentialis in rigore logico, concedo consequentiam; in sensu lato, nego consequentiam. Est igitur essentialis talis definitio, quatenus non traditur per proprietatem, optimèque explicat essentiam definiti.

274 Objicies sextò. Talis definitio traditur per proprietatem: ergo est descriptiva. Probas antecedens. Traditur per subsistentiam; sed hæc est proprietas Substantiæ: ergo traditur per proprietatem. Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem distinguo maiorem: traditur per subsistentiam radicalem, concedo maiorem: per subsistentiam formalem, nego maiorem. Deinde nego minorem; quia subsistentia radicalis est ipsa essentia Substantiæ; subsistentia verò formalis, in sententia Bacconii, est effectus ejusdem Substantiæ in actu positæ.

275 Objicies septimò. Aristoteles definivit Substantiam; sed nullo modo per subsistentiam; quippe subsistentiam penitùs ignoravit: ergo tua definitio non est Aristotelica. Respondeo ad objectionem negando maiorem; quia Philosophus tantùm divisit Substantiam in primam, & secundam, quas optimè manifestat, & explicat; Substantiam autem prædicamentalem generaliter acceptam non definivit, forte quia non potest definiri per genus rigorosum, inquit Mag. Blasco tom. 1. dist. 15. q. 1. art. 1.

Blasco.

1. num. 3. quo non obstante, Doctores, & nos cum ipsis pro quidditativa definitione laboramus.

276 Objicies octavò. Talis definitio convenit tam Substantiæ completæ, quàm incompletæ: ergo non est propria Substantiæ prædicamentalis, quæ debet esse completa. Respondeo ad objectionem negando antecedens; quia præfata definitio tantùm convenit Substantiæ per se existenti, quæ etiam pro priori ad formalem subsistentiam est completa, saltem in esse individui naturæ, tametsi per subsistentiam formalem reddatur completa in esse personæ, utî supra dictum, & expositum fuit.

277 Objicies nonò. *Per se subsistere* potest separari à Substantia: ergo nequit esse de constitutivo ipsius. Probas antecedens ex Mysterio Incarnationis. Respondeo ad objectionem distinguendo antecedens: *Per se subsistere* formaliter, potest separari à Substantia, concedo antecedens: *Per se subsistere* radicaliter, nego antecedens, & consequentiam. Unde Substantia non constituitur per subsistentiam formalem, sed radicalem, sive originativam, quæ est per se existens, hæc autem separari nequit à Substantia actuali; ablatâ quippe existentiâ, non remanet Substantia, nisi tantum in potentia. Ex Mysterio autem Incarnationis solùm probatur Substantia absque subsistentia formali creata, non sine radicali.

278 Instabis. Existentia est accidentaria creaturæ; sed Substantia non constituitur per aliquod accidens: ergo neque per existere per se, sive subsistere radicaliter. Respondeo ad instantiam, concessâ maiore, & minore, negando consequentiam. Quia in maiore sumitur existentia pro persistentia in esse, sive pro exercicio ejusdem existentiæ, quod certò accidentale est creaturæ. In con-

sequentia verò sumitur existentia pro reali gradu essendi Substantiæ, cui convenit essentialiter esse completam in esse individui, ac per consequens esse Ens per se existens, sive subsistens radicaliter.

279 Replicabis. Causa non potest constitui per esse radicem effectûs, nisi effectûs tantùm primarii; sed subsistentia non est effectus primarius naturæ Substantialis, benè verò secundarius: ergo natura Substantialis non potest constitui per esse radicem subsistentiæ. Respondeo ad objectionem negando maiorem; quia quemadmodum rationale non modò constituitur per potentiam ad apprehendendum, sed etiam ad discurrendum, non obstante, quòd apprehensio sit prior discursu, ita Substantia non tantùm per esse radicem effectûs primarii, sed etiam secundarii constituitur.

280 Objicies decimò. Existere per se convenire potest accidenti: ergo non est de constitutivo Substantiæ. Probas antecedens. Nulla apparet repugnantia in eo, quòd Deus producat aliquod accidens per se existens, sive subsistens; quinimò de facto in Eucharistia habet accidens esse per se: ergo existere per se convenire potest accidenti. Respondeo ad objectionem distinguendo antecedens: existere per se convenire potest accidenti, Divinitùs, concedo antecedens: connaturaliter, nego antecedens. Bene verum est, quòd constitutivum rei nec Divinitùs potest alteri convenire: cæterum existere per se connaturaliter, & sine exigentia ad subjectum, quod est de essentia Substantiæ, nec Divinitus competit accidenti.

281 Objicies undecimò. Differentiæ divisivæ Substantiæ non sunt formaliter Substantia; atqui illis convenit existere per se: ergo talis definitio convenit aliis à definito. Respondeo ad obje-

ctionem, concessâ maiore, & minore, negando consequentiam. Nam tametsi talis definitio conveniat differentiis Substantiæ, ipsæque non sint formaliter Substantia, sunt nihilominus Substantia realiter, exquo non sequitur, quòd præfata definitio conveniat aliis à definito; conceptus enim existendi per se potiùs respicit entitatem physicam, quàm metaphysicam.

282 Objicies duodecimò. Anima rationalis, adhuc separata, est Ens per se existens; sed non est Substantia prædicamentalis, eò quòd non sit completa: ergo idem, quod supra. Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem: est Ens per se existens ordinatum ad existendum in alio, nempe in corpore, concedo maiorem: est Ens per se existens, non ita ordinatum, nec exigens in alio existere, nego maiorem. Deinde, concessâ minore, nego consequentiam. Quia animæ non convenit per se existere eo modo (independenti ab alio) proprio Substantiæ completæ, & prædicamentali, quæ in præsenti definitur.

283 Objicies decimo tertiò. Præfata definitio non convenit materiæ primæ; sed materia prima est Substantia: ergo non convenit omni Substantiæ. Probas maiorem. Materia prima in via Bacconii non habet propriam existentiam: ergo definitio præfata non convenit materiæ primæ. Respondeo ad objectionem concessâ maiore, distinguendo minorem: est Substantia incompleta, concedo minorem: Substantia completa & prædicamentalis, quæ hîc tantùm definitur, nego minorem, & consequentiam intellectam de Substantia prædicamentali. Ex dictis

284 Deduces, Deum Optimum Maximum non excludi à prædicamento Substantiæ, siquidem

genus supremum Substantiæ de Deo formaliter prædicatur; etenim genus Substantiæ contrahitur per intellectivum, quod Deo, & homini commune est. Nec obstat primò, quòd Substantia dicatur substare accidentibus; nam conceptus Substantiæ est absolutus, & prior conceptu substandi, qui est relativus, ex quo non est de conceptu essentiali Substantiæ prædicamentalis ut sic. Nec obstat secundò, quòd Substantia Divina sit perfectio infinita actualis potentialitatem, & perfectibilitatem excludens, non enim dicimus, quòd potentialitas, aut perfectibilitas sit de ratione Substantiæ contractæ ad Deum; solus quippe conceptus Substantiæ ut sic præcisus, & indifferens ad Deum, & creaturam dicit potentialitatem, aut perfectibilitatem. Unde remotâ omni imperfectione, non est, cur Deus non collocetur in Substantiæ prædicamento, ut jam diximus ex Bacconio tom. 1. tractatu 4. disp. 2. sectione 1. in fine. Scio aliquos, etiam ex nostris, docere solam perfectibilitatem physicam repugnare Deo, non intentionalem, de quo videndus Mag. Blasco tom. 1. Philos. l. 5. dist. 14 q. 2. art. 3. n. 41. Blasco.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Substantia prædicamentalis?

285 RESOLUTIO: Substantia prædicamentalis dividitur in primam, & secundam. Prima definitur sic: *Quæ in subjecto non est, nec de subjecto dicitur.* Hæc est singularis, ut Petrus, qui in subjecto non est, ideſt, non inhæret; alioquin potius esset accidens, quàm Substantia: nec de subjecto dicitur, ideſt, non prædicatur, nisi tantùm identicè. Secunda sic: *Quæ in subjecto non est,*

sed

sed de subjecto dicitur. Hæc est universalis, ut homo, qui licèt non sit in subjecto per inhærentiam, sicut accidens, prædicatur tamen de subjecto tanquam de inferiori. Habet præfata divisio membra distincta; nam etsi Substantia universalis sit de essentia singularîs, v. g. homo de essentia Petri, nihilominus à Petro distinguitur formaliter intentionaliter, quia homo, qui est secunda Substantia, non est formaliter intentionaliter Petrus, etsi Petrus sit formaliter intentionaliter homo. Hæc doctrina clarescit ex dictis in Log. tractatu 2. disp. 3. sect. 1. quæst. 2.

286 Difficultas, quæ præfatam divisionem obscuram reddit, est hæc: Divisum talis divisionis coincidere videtur cum uno membro dividente, nempe cum secunda Substantia; siquidem divisum est Substantia communis, & cùm talis sit secunda Substantia, videtur divisum in hac divisione coincidere cum uno membro dividente. Cæterùm dicendum cum Mag. Didaco à JESU Logicæ disp. 12. q. 4. vers. *Dico secundo*, & Complut. nostris, eâdem disp. q. 2. num. 23. quòd divisum hujus divisionis est Substantia prædicamentalis secundùm se, idest, accepta secundùm sua prædicata essentialia, præscindens ab eo, quòd sit universalis, vel particularis. Didacus. Complut.

QUÆSTIO III.

Quot sint Substantiæ proprietates?

287 RESOLUTIO: Proprietates Substantiæ sex communiter assignantur à Philosophis. Prima: *Quod non sit in subjecto per inhærentiam*; & hæc proprietas convenit tam primæ, quam secundæ Substantiæ, & non modò Substantiæ com-

completæ, verùm & incompletæ, quæ estò sit in subjecto informationis, non tamen in subjecto inhæsionis. Secunda: *Quod prædicetur univocè de inferioribus.* Docet Mag. Garcia hîc q. 2. art 4 n.556. quòd hæc proprietas intelligenda sit de univocatione logica. Ast videtur incohærenter procedere; nam si univocatio logica esset proprietas Substantiæ prædicamentalis, hæc prædicaretur univocatione logicâ de Deo, & creatura, cùm Deus etiam collocetur in prædicamento Substantiæ, juxta doctrinam expressam Resoluti, quam sustinet hic Author; sed Substantia non prædicatur univocatione logica de Deo, & creatura, juxta probabiliorem ejusdem Resoluti sententiam traditam, & approbatam ab eodem Garcia dist. 2. q. 1. art. 4. §. 2. igitur videtur procedere incohærenter.

Garcia.

288 Verùm pro concordandis doctrinis hujus Magistri observandum est primò, sufficere univocationem logicam ad Substantiam prædicamentalem, & non requiri semper univocationem metaphysicam. Utramque explicavimus in Logica tractatu 4. disp. 1. sectione 2. n. 718. Observandum est secundò, Deum non reponi in prædicamento Substantiæ, nisi hæc sit depurata ab imperfectionibus limitationis, finitatis, potentialitatis &c. quo pacto supremum genus Substantiæ importat univocationem logicam, ut tenet citatus Garcia. Quod si hic docet, ubi supra, Substantiam non esse logicè univocam ad Deum, & creaturam, intelligendus est de Substantia secundùm rem generis, & rationem formalem simul, sed non de Substantia depurata ab imperfectionibus; hoc enim modo tantùm analogiam importat, exquo non competit inferioribus per prædicationem æque primò. Ita procedit solutio cujusdam objectionis à nobis adductæ in Lo-

gica

gica tractatu 2. disp. 3. n. 578. Alioqui enim nos etiam posset quis incohærentiæ arguere.

289 Tertia: *Quòd significet hoc aliquid*, idest, quòd Substantia sit per se individua; nam accidentia carent propriâ individuatione, cùm solùm à Substantia propriè individuentur. Verùm præfata proprietas non convenit omni Substantiæ prædicamentali, sed tantùm Substantiæ primæ. Quarta: *Quòd non habeat contrarium*: hæc convenit tam primæ, quàm secundæ Substantiæ; nihil enim assignabitur, quod propriè sit contrarium Substantiæ; accidens enim respicit Substantiam tanquam suum subjectum, exquo nequit esse contrarium Substantiæ. Potest nihilominus Substantia radicaliter habere contrarium, ut v. g. forma ignis, quæ radicat qualitatem formaliter contrariam qualitati aquæ. Non soli Substantiæ, sed quantitati etiam convenit præfata proprietas.

290 Quinta: *Quòd non suscipiat magis, & minus*, idest, quod non intendatur, aut remittatur per maiorem, aut minorem subjecti radicationem, sicut qualitas; Substantia enim, cùm non sit in subjecto, non potest magis, aut minus radicari in illo: & hæc proprietas convenit etiam quantitati, ut infra suo loco dicemus. Docet Bacconius, Baccon. aliquam Substantiam materialiter acceptam suscipere magis, & minus secundùm gradus translationis, ut docuimus ex eodem Doctore in Compendio pro Diverso, & Eodem disp. 2. n. 187. Sexta: *Quòd sit susceptiva contrariorum*; siquidem est subjectum commune accidentium, quæ sunt formæ contrariè oppositæ: & hæc proprietas licèt conveniat primæ Substantiæ, non tamen omni; Deus enim, qui certò est prima Substantia, non suscipit formas contrarias. Addit Mag. Garcia, hîc, quòd si *contraria* Garcia.
analo-

analogicè sumuntur pro incompossibilibus, profectò omnis Substantia erit contrariorum susceptiva.

291 Præter istas proprietates, aliam assignat Aristoteles 7. Metaph. cap. 1. nempe, *Quod sit prior accidentibus*, per hæc verba, ibi: *Patet primum horum ens esse ipsum quid est, quodque Substantiam significat*: & hæc proprietas maximè convenit Substantiæ formaliter acceptæ, quæ ita independens est ab ipsis accidentibus, ut ab omnibus valeat separari. Agunt Philosophi hoc loco de subsistentia, inquiruntque: quomodo natura Substantialis distinguatur ab illa. Verùm hoc de puncto in Compendio pro Diverso, & Eodem ubertim disputavimus.

QUÆSTIO IV.

Utrùm Substantia materialis antecedenter ad quantitatem habeat partes physicè distinctas?

292 RESOLUTIO est affirmativa, & expressa Doctoris in 3. dist. 15. q. 1. art. 2. §. 3. per totum, quem sequuntur Mag. Aymus parte 2. Metaph. dist. 1. q. 2. art. 2. Mag Blasco tom. 1. Philos. libro 5. dist. 15. q. 3. art. 1. num. 35. Mag. Garcia in Metaph. dist. 2. q. 2. art. 3. §. 1. n. 539. Tenent, etiam ex nostris, Mag. Bona spes, Mag. Castelvi, Mag. Blanc. apud ipsum Garciam citatum. Ex Thomistis Lerma, Martinez de Prado, & Ortiz, quos citat, sed non sequitur Illustrissimus Joannes Cano infra relatus. Item Sotus cap. de Quantitate q. 2. Didacus à JESU in Log. disp. 13. q. 2. Illustrissimus Palanco Logicæ tractatu 6. q. 5. Ex Scotistis ferè omnes, Subtili duce, in 2. dist. 12. q. 2. Ex Jesuitis Suarius tomo posteriori Metaph. disp. 40. sectione

Baccon. Aymus. Blasco. Garcia. Bona spes Castelvi. Blanc. Lerma. Martinez. Ortiz. Cano. Sotus. Didacus. Palanco. Scotus. Suarius.

ctione 4. n. 7. Oviedo ibidem Controversia 7 puncto 2. §. 2. & alii. Fuit hæc eadem sententia antiquorum Nominalium Aureoli, Gofred Gabrielis, & Okam quos citat, & sequitur noster Didacus à JESU, ubi nuper laudatus. Ante resolutionis probationem Oviedo. Aureolus. Gofred. Gabriel. Okamus.

293 Prænoto primò, Substantiam aliam esse spiritualem, aliam materialem. Spiritualis, qualis est Deus, Angelus, & anima rationalis, caret partibus physicè distinctis, estque indivisibilis non tam quantitativè, sed etiam entitativè. Materialis, v. g. leo, equus, & quævis alia corporea, ratione suæ materialitatis continet partes physicè sive entitativè distinctas, de hac procedit quæstio: an talis distinctio proveniat à quantitate, an detur antecedenter ad ipsam?

294 Prænoto secundò, partes dici relativè ad totum, quod duplex est, unum essentiale, integrale aliud. Essentiale vel est physicum, vel metaphysicum: primum componitur ex partibus physicè distinctis, ut homo ex materiâ, & formâ: secundum ex partibus metaphysicè distinctis coalescit, ut homo ex animali, & rationali. Totum autem integrale est per ordinem ad partes, quæ integrant ipsum, sive ex quibus tale totum resultat, estò hoc sit pars respectu totius essentialis physici. Sic caput, manus, pedes &c. integrant totum corpus, quod est pars hominis physicè constituti. Quæritur ergo: an, si Deus auferret quantitatem ab ipsis partibus integrantibus, adhuc ipsæ manerent physicè, seu entitativè distinctæ, sive haberent extensionem entitativam? Affirmativam resolutionem proponimus cum Bacconio. His prænotatis,

295 Probo resolutionem, & primò sic: Substantia manûs v. g. est distincta physicè à Substantia pedis; sed talis distinctio non potest prove-

nire à quantitate: ergo Subſtantia materialis antecedenter ad quantitatem habet partes phyſicè, ſive entitativè diſtinctas. Probo maiorem. Quæ phyſicè ſeparantur, aut ſeparari poſſunt, phyſicè diſtinguuntur; ſed manus v. g. & pes ſeparari poſſunt, ut experientiâ conſtat: ergo Probo etiam minorem primi ſyllogiſmi. Quantitas eſt ejuſdem rationis in manu, & pede, eſtque forma accidentalis: ergo diſtinctio inter manum & pedem, cùm non ſit accidentalis, non poteſt provenire à quantitate.

296 Secundò ſic: Si Deus, ut poteſt, ſeparaſſet quantitatem, Subſtantiâ remanente, utique remaneret tota entitas partium corporis, quæ antea erat; ſed antea illæ partes erant entitativè diſtinctæ: ergo & poſtea. Maior, & minor probatione non indigent. Probo conſequentiam. Partes, quæ realiter phyſicè diſtinguuntur, nullo pacto poſſunt ita identificari, ut ex illis reſultet aliquid indiviſibile; ergo ſi ante ſeparationem quantitatis illæ partes erant entitativè diſtinctæ, ita & poſtea.

297 Tertiò ſic: Ablatâ quantitate à Subſtantia occeani v. g. adhuc talis Subſtantia maneret diviſibilis in partes: ergo diſtinctio partium aquæ occeani non provenit à quantitate, ſed habetur antecedenter ad ipſam. Probo antecedens. Si talis Subſtantia non maneret diviſibilis in partes, ſequeretur, quòd homo bibens guttam illius, totum biberet occeanum; ſed hoc eſt ridiculum: ergo, ablatâ quantitate à Subſtantia occeani, adhuc talis Subſtantia manet diviſibilis in partes. Siquis plura optet in favorem noſtræ ſententiæ, adeat ſupra relatos AA.

Pro-

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

298 NOstræ resolutioni opponuntur Capreolus, Ferrar. Soncin. Naza, & alii, quos citant, & sequuntur nostri Complutenses disp. 13. Logicæ q. 3. n. 30. Item Aquarius 1. Phys. q. 4. Illustrissimus Joannes Cano Logicæ l. 4. disp. 1. q. 4. vers. *Sit secunda*, ubi affirmat, Substantiam corpoream à quantitate præcisam nullam habere distinctionem partium, addens, hanc sententiam conformem esse menti D. Thomæ. Verùm ex opposito habemus clarum S D. testimonium, q. 9. depot. art 7. ibi: *Distinctio in hoc attenditur, quod una res non est alia, quod quidem non habent ex aliquo superaddito.* Eamdem defendunt extra Thomistas Toletus 1. Physicorum q. 7. Vasques in primam p. disp. 196. cap. 3. & alii viri graves, qui eam satis probabilem reddunt. Pro his omnibus, & maximè ex Complutensibus nostris

Capreol. Ferrar. Sonc. Naza. Complut. Aquar. Cano. Toletus. Vasques. D.Thom.

299 Objicies primò, ostendendo extensionem entitativam, quam ponimus in Substantia esse superfluam. Ad recipiendam quantitatem sufficit capacitas Substantiæ; sed hæc reperiri potest sine extensione entitativa: ergo talis extensio entitativa in Substantia est superflua. Maior liquet. Probas minorem. Capacitas recipiendi albedinem in Substantia reperitur sine aliqua albedine entitativa: ergo etiam capacitas, quam habet Substantia, ut recipiat quantitatem dari potest sine extensione entitativa. Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem. Ad probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est; quia capacitas recipiendi albedinem est mera non repugnantia, quam Substantia habet, ideoque su-

X ii perfluum

perfluum foret admittere in Subſtantia aliam albedinem entitativam antecedentem. Aſt extenſio entitativa eſt illa capacitas, quam habet Subſtantia, ut quantitas poſſit extendere illius partes; & cùm quantitas non poſſit extendere partes Subſtantiæ, niſi hæc habeat capacitatem, ut ejus partes extendantur, opus eſt, quòd habeat ſuas partes entitativè extenſas. Ulterior ratio eſt: quia quantitas non poteſt extendere partes Subſtantiæ, niſi ipſæ ſint actu extenſibiles, exquo una actu non eſt alia.

300 Objicies ſecundò, oſtendendo eſſe impoſſibilem extenſionem entitativam in Subſtantia, ante quantitatem. Nulla ante quantitatem poteſt eſſe in Subſtantia compoſitio partium integralium, etiam entitativarum: ergo ante quantitatem non poteſt dari in Subſtantia extenſio, aut diviſibilitas entitativa. Probas antecedens. Compoſitio partium integralium eſt accidentalis: ergo nulla ante quantitatem poteſt eſſe in Subſtantia compoſitio partium integralium, etiam entitativarum. Probas antecedens. Compoſitio partium integralium non fit ex actu, & potentia ſimpliciter: ergo eſt accidentalis.

301 Confirmabis. Diſtinctio partium, etiam heterogenearum cauſatur ab accidentibus: ergo, illis ablatis, non manebunt partes diſtinctæ. Probas antecedens. Caput, & manus v. g. ſolùm ſecundùm figuram cum his, aut illis accidentibus diſtinguuntur, non materialiter, & ſecundùm Subſtantiam. Similiter oſſa non diſtinguuntur à carne quoad Subſtantiam, ſed penes durum, & mole, quæ ſunt accidentia: ergo &c.

302 Reſpondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem nego etiam antecedens. Ad probationem, conceſſo antecedente, nego conſequentiam; quia non eſt de ratione compoſitionis

ſitionis ſubſtantialis, quòd ſemper ſiat ex actu, & potentia, ſed tantùm id neceſſe eſt ad compoſitionem, exqua reſultat natura phyſica compoſita eſſentialiter. Non igitur eſt accidentalis illa, quæ caret actu, & potentia, ſi coaleſcat ex portionibus, ſeu partibus ſubſtantialibus, utî ſe habet Subſtantia corporea antecedenter ad quantitatem.

303 Ad confirmationem reſpondeo negando antecedens Ad cujus probationem nego antecedens quoad ambas partes. Cùm enim Subſtantia capitis poſſit ſeparari à Subſtantia manus, ſequitur, quòd ſint partes diſtinctæ quoad Subſtantiam. Idem dicendum de carne, & oſſibus, juxta ſigna diſtinctionis realis, dequibus ſuo loco egimus. Nec recurrendum ad diſtinctionem potentialem, hæc enim validiſſimè impugnatur ab Illuſtriſſimo Palanco ſup. Palanco. laudato dicente, prædictam diſtinctionem potentialem noviter fuiſſe à Complutenſibus inventam ad ſolam vim argumenti ſeparationis effugiendam. Et quidem ex tali diſtinctione potentiali ſequeretur una ſimplex natura potens multiplicari realiter in plura individua ejuſdem eſſentiæ phyſicæ, quorum comparatione eſſet totum poteſtativum, exquo nihil differret ab idea illa. quæ Platoni tribuitur, ut bene obſervat P. Ludovicus de Loſſada diſp. 3. Metaph. cap. 4. n 71. Loſſada.

304 Objicies tertiò. Materia prima hominis, remotâ quantitate, vel eſt ſimplex, vel compoſita? Si ſimplex erit indiviſibilis. Si compoſita, aut primâ compoſitione ex actu, & potentia, aut ſecundâ ex ſubjecto, & accidente; ſed prima repugnat materiæ; cùm hæc ſit pura potentia: ſecunda verò repugnat, ubi non eſt prima: ergo.

305 Confirmabis primò. Si materia prima ſecundùm ſe componeretur ex partibus, neceſſariò ibi

ibi esset distinctio partium; sed hæc est impossibilis in materia prima: ergo. Maior liquet. Probas minorem. Ubi est distinctio unius ab alio, necessariò intervenit aliquis actus; siquiden actus est, qui dis-
Aristotel. tinguit, ex 7. Metaph, textu 49. sed in materia secundùm se nullus est actus, cùm sit pura potentia: ergo ibi non potest esse distinctio partium. Confirmabis secundò. Prius est esse, quàm maius esse; sed materia prima de se non habet esse: ergo neque habet maius esse: ergo non est divisibilis, aut extensa, etiam entitativè, sine quantitate.

306 Respondeo ad objectionem, & dico, materiam primam hominis, remotâ quantitate, esse compositam, non primâ compositione, primatu dignitatis, ex actu, & potentia, neque secundâ ex subjecto, & accidente, sed primâ, ordine naturæ, quæ petit, quòd materia pro priori ad formam habeat suam essentiam, quæ absque continuitate partium stare nequit, juxta principia Aristotelica. Est igitur materia prima, ante formam Substantialem, totum quodam homogeneum compactum ex partibus Substantialiter distinctis; cùm constet variis portionibus Substantialibus puræ potentiæ.

307 Ad primam confirmationem respondeo, concessâ maiore, negando minorem. Ad probationem distinguo maiorem: ubi est distinctio unius ab alio, necessariò intervenit aliquis actus, vel ordo ad actum, concedo maiorem: necessariò intervenit actus formaliter, nego maiorem. Deinde, concessa minore, nego consequentiam. Quia, ut materia habeat partes distinctas, sufficit, quòd istæ dicant ordinem ad portiones formarum Substantialium, quæ continentur potentiâ in sinu materiæ, ut suo loco probavimus ex Bacconio. Satis etiam est, quòd tales partes dicant ordinem ad quantitatem divi-

divisibilem, ut inquit Illustrissimus Palanco, adducens exemplum de materia cælesti, quæ est distincta à sublunari in probabilissima sententia, (hanc tenet Bacconius) non quia habeat aliquem actum ex se, sed quoniam ex se dicit ordinem ad actum distinctum, nempe ad formam incorruptibilem. Vide super his, quæ diximus tom. 2. tractatu 1. num. 219. & n. 276. Docet Mag. Garcia ubi sup. quòd sicut materia prima ex se distinguitur à forma, quanvis in se nullum actum includat, ut tenent etiam Thomistæ, ita fortè dicendum, partes materiæ absque ullo actu inter se distingui. Ad secundam confirmationem respondeo concedendo totum, præter ultimam consequentiam; quia totum id potest materia habere à forma, vel per ordinem ad formam, absque quantitate. Palanco. Garcia.

308 Objicies quartò. Esse extensum quacumque extensione, sicut esse *quale*, est esse *secundùm quid*: ergo sicut esse *quale* provenit, seu accidit Substantiæ à forma accidentali, ita etiam esse extensum quacumque extensione; & per consequens sicut, ablatâ qualitate, Substantia non manet qualis, ita, ablatâ quantitate, non remanebit ullo modo extensa. Probas antecedens. Illud dicitur esse *secundùm quid* respectu Substantiæ, per quod non potest responderi ad quæstionem, quid est esse ipsius Substantiæ; sed esse extensum est hujusmodi: ergo. Maior liquet. Probas minorem Quærenti, quid sit homo, non respondetur, est extensus entitativè: ergo.

309 Confirmabis primò. Ridiculum est distinguere quodam esse quale entitativè, & aliud esse qualitativè, asserereque, Substantiam esse qualem primo modo, non secundo: ergo etiam distinguere quodam esse extensum entitative, & aliud esse exten-

extensum quantitativè ; & illud primum tribuere Substantiæ secundum se. Confirmabis secundò. Si Substantia antecedenter ad quantitatem haberet aliquam extensionem, sequeretur, nullum esse quantum per accidens. Probas sequelam. Si in Substantia corporea daretur extensio aliqua antecedenter ad quantitatem, pari ratione poneretur etiam extensio entitativa in qualitatibus, quæ in quantitate subjectantur; sed hoc est alienum ab scholis: ergo

310 Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem, data maiore, nego minorem. Ad probationem distinguo antecedens: quærenti, quid sit homo absolutè, non respondetur, est extensus entitativè, concedo antecedens: quærenti quid sit homo, ut Substantia corporea distincta ab spirituali, non respondetur, est extensus entitativè, nego antecedens. Quia ad esse simpliciter Substantiæ corporeæ spectat habere partes integrales, quæ connaturaliter petant extensionem quantitativam, exquo ipsæ antecedenter ad quantitatem sunt entitativè extensæ, seu distinctæ. Dixi supra, *data maiore*, quia rationale non spectat ad esse *secundum quid*, sed ad esse *simpliciter* hominis, & tamen prædicatur de illo *in quale*, non *in quid.* Affert Poncius alias duas solutiones, videndas, si lubet. Ex eodem

311 Ad primam confirmationem respondeo, concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est: quia nullum est fundamentum, aut urgens ratio, ut distinguamus quodam esse quale entitativè, & quale qualitativè. Ast datur grave fundamentum, exquo colligamus dari quodam esse extensum entitativè antecedenter ad quantitatem, ut ex superioribus constat. Ad secundam confirmationem respondeo negando sequelam. Ad probationem,

nem, conceſſâ maiore, nego minorem. Nam ſicut Philoſophi id docent de Subſtantia, abſque inconvenienti diſcurrere poterunt de qualitate corporea. Hæc pro Complutenſibus.

312 Objicies quintò. Stat optimè identitas partium Subſtantiæ antecedenter ad quantitatem cum diſtinctione proveniente poſtea à quantitate: ergo illa capacitas, quam habent partes Subſtantiæ antecedenter ad quantitatem non eſt diſtinctio aliqua entitativa. Probas antecedens. Stat optimè, quòd eadem Subſtantia corporea tranſeat de potentia in actum: ergo & quòd tranſeat ab identitate ad diſtinctionem partium.

313 Reſpondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem, conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Diſparitas eſt longa: quia potentia, & actus non variant eſſentiam; cùm actus ſit gradus eſſendi ejuſdem eſſentiæ, quæ erat in potentia, ut ex Bacconio diſtinctè explicuimus tom. 2. tractatu 1. diſp. 2. ſectione 1. q. 8. & ſæpe alibi Aſt identitas, & diſtinctio entitativa variant eſſentiam, eò quòd ſint termini maximè oppoſiti. Semel ergo, quòd Subſtantia ſit ſimplex ex ſe, & ſecum identificet actualem ſimplicitatem, impoſſibile eſt, quòd, eâdem permanente, habere valeat partes diſtinctas. Alioquin natura Angeli, tametſi actu ſimplex, poſſet in partes dividi beneficio cujuſdam accidentis nobis ignoti. Advertit Mag. Garcia, ubi ſup. objectionem multum probare, nempe, non repugnare tranſitum à corporeo ad incorporeum, & ab infinito ad finitum. Garcia.

314 Objicies ſextò. Si Subſtantia corporea haberet partes entitativè diſtinctas antecedenter ad quantitatem, daretur ad illam per ſe motus; ſed hoc eſt contra doctrinam Philoſophi 5. Phyſico-

Aristot. rum cap. 2. ibi: *Cum autem neque in Substantia, neque in relatione, neque in actione, passioneve sit motus &c.* ergo non stat resolutio cum doctrina Aristotelica. Probas maiorem. Si Substantia corporea haberet partes entitativè distinctas antecedenter ad quantitatem, posset illa per istas successivè acquiri; sed, hoc posito, daretur ad Substantiam per se motus: ergo. Respondeo ad objectionem negando maiorem. Ad probationem, data maiore, nego minorem. Quia, ut diximus tom. 3. tractatu 3. disp. 1. sectione 2. q. 1. ad rationem motûs per se strictè sumpti requiritur, quòd observentur duæ conditiones, scilicèt, quòd versetur inter terminos positivos contrarios, & quòd tales termini habeant latitudinem successivam percurrendam, quæ quidem conditiones, ut ibidem ostendimus, certò non observantur in motibus generationis, & corruptionis, qui propriè ad Substantiam terminantur. Dixi, *data maiore,* quia quanvis nutritio sit actio successiva, solùm est talis ratione dispositionum, siquidem si materia alimentaria esset in instanti disposita, certè in instanti daretur nutritio.

315 Objicies septimò. Ablatâ quantitate à Substantia corporea, ipsa conflueret in punctum; sed ex hoc sequitur, Substantiam non componi ex partibus distinctis: ergo Substantia, præcisâ quantitate, caret partibus physicè distinctis. Maior liquet. Probas minorem. Si Substantia corporea in punctum redacta componeretur ex partibus distinctis, posset dividi ab agente naturali; sed agens naturale non valeret ipsam dividere, semel in punctum redactam: ergo. Respondeo ad objectionem, datâ maiore, negando minorem. Ad probationem nego maiorem; quia agens naturale agit in passum per contactum physicum, qui recipi non potest in Substantia corporea,

porea, quantitate denudatâ, qua de causa etiam non potest recipi in Substantia spirituali. Ast cùm Substantia corporea, etiam quantitate ablatâ, benè à Deo, & ab Angelo valeret dividi, ex hoc arguitur, quòd ipsa partes distinctas contineret. Dixi sup. *data maiore*, quia multi negant, quòd Substantia corporea denudata quantitate in punctum conflueret, eo ducti fundamento, quòd non esset maior ratio, cur confluceret ad unum punctum istius spatii, quàm ad quodcumque aliud. Unde existimant, Substantiam ex se habere partes tam in ordine ad se, quàm in ordine ad locum, etiam quantitate ab ipsa ablatâ. Ita Joannes Poncius Log. disp. 14. q. 2. conclus. 4. num. 19 aliique, qui satis probabiliter procedunt. Poncius.

316 Objicies octavò. Si Substantia corporea antecedenter ad quantitatem haberet partes physicè distinctas, esset impenetrabilis; sed hoc est falsum: ergo. Probas maiorem. Si haberet partes physicè distinctas, haberet partes extensas; sed partes extensæ resistunt penetrationi: ergo si Substantia corporea antecedenter ad quantitatem haberet partes physicè distinctas, esset impenetrabilis. Respondeo ad objectionem negando maiorem. Ad probationem distinguo maiorem: haberet partes extensas in ordine ad se, sive ad totum, concedo maiorem: in ordine ad locum, & situm, nego maiorem. Deinde distinguo minorem: partes extensæ in ordine ad locum, & situm, resistunt penetrationi, transeat minor: in ordine ad se, sive ad totum, nego minorem. Quia stat optimè, quod partes Substantiæ sint entitativè extensæ, seu distinctæ, & penetrabiles; impenetrabilitas enim propria est quantitatis cum alia quantitate ejusdem, vel alterius totius, quæ habent partes situaliter, & localiter extensas,

ita quòd cum quocumque alio ipsamet quantitas valeat naturaliter penetrari, ut cum materia, & forma Substantiali, & accidenrali. Dixi supra, *transeat minor*, quia saltem miraculosè possunt partes extensæ quantitativè penetrari, ut liquet in Christo Domino penetrato cum ostio sepulchri.

317 Objicies nonò. Substantia corporea sine quantitate non est divisibilis: ergo non habet partes distinctas. Probas antecedens. Divisibilitas est effectus formalis primarius quantitatis: ergo Substantia corporea sine quantitate non est divisibilis. Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem nego antecedens. Quia effectus formalis quantitatis est petere extensionem localem, & situalem in se ipsa, ut melius ex infra dicendis constabit. Et quanvis divisibilitas sit etiam propria quantitatis, est tantùm divisibilitas illa, quæ velut complet extensionem, & divisibilitatem, quam in se, & secundùm se habet Substantia, si enim hæc ex se non esset divisibilis, & entitativè extensa, nec etiam, quantitate positâ, dividi, aut extendi posset.

318 Objicies decimò. Individuatio Substantiarum corporearum ita sumitur à quantitate, ut, sublatâ istâ, tollatur illa: ergo implicant partes physicè distinctæ in Substantia corporea, ablatâ quantitate. Respondeo ad objectionem negando antecedens; quia si Deus destrueret omnem quantitatem Petri, & aliam infunderet, semper daretur idem numero Petrus Substantialis: patet igitur principium individuationis Substantiarum corporearum non consistere in quantitate. Hanc doctrinam multis probat Blasco ex Bacconio. Primò ex eo, quod Petrus v. g. sit unum individuum Substantiale distinctum ab alio, ante omne accidens. Secundò, quia cùm accidentia in suo genere habeant propria individua

Blasco. Baccon.

acciden-

accidentalia à principio accidentali, multò meliùs ipsa Substantia habebit individua Substantialia à Substantiali principio. Tertiò, quia quantitas advenit subjecto in individuo Substantiali, exquo non potest illud constituere Quartò, quia prima divisio, & numerus fit per formas Substantiales, uti clarè docet idem Bacconius in 3. dist. 12. q. 1. art. 2. Baccon. Quintò, quia, variatâ quantitate hominis juvenis, & senis, manet formaliter idem Substantiale hominis individuum. Sextò, quia ingenito, & corrupto manet eadem quantitas, secus idem Substantiale individuum. Septimò, quia accidens non habet esse simpliciter. Octavò, quia quantitas, si est terminata, supponit formam, & individuum. Si vero est interminata, est communis genito, & corrupto, quæ sequuntur materiam individuam. Itaque idem Blasco Blasco. tom. 1 Cursus Philosoph. l. 4 dist. 13 q 2 art. 2. §. 2. n. 43 citat Bacconium dicentem, sententiam de accidente principio individuationis Substantiarum damnatam fuisse inter articulos Parisienses. Ex his

319 Deduces, principium intrinsecum individuationis Substantiarum corporearum consistere in sola forma, ut mirificè probat Bacconius in 3. Baccon. dist. 11. q. 2 art. 3. §. 3. Idem dicendum de principio individuationis substantiarum spiritualium tam incompletarum, puta animarum rationalium, quàm completarum, v. g. Angelorum; hi enim individuantur à propria ipsorum entitate, quæ est forma, exquo est actus. Et quanvis careant materiâ, possunt nihilominus multiplicari à Deo intra eandem speciem infimam, juxta Doctorem in 2. dist. 11 q. 1. art 2 § 4. Hinc sequitur, naturam D. Michaelis v. g. habere rationem speciei de pluribus prædicabilem Quod si oppositum docuimus ex eodem Bacconio, in Logica n. 662. id intelligendum, suppositione

sitione ibidem factâ, videlicet, quòd repugnarent plura, de quibus talis natura prædicaretur. Hoc maximè advertendum, ne inconsequenter loqui videamur. Æquum erat de principio individuationis, & multiplicationis in via ejusdem Bacconii tractatum instituere, utî Salmaticenses nostri per integrum tractatum tomi primi de hac celebri controversia disputant in via Doctoris Angelici. Ast multis mihi intento tempus deficit. Videndi Mag. Blasco, ubi sup. Mag. Garcia Metaph. dist. 1. q. 6. art. 3. Mag. Ponce Bacca disp. 3. q. 3. qui de præfato principio ubertim pertractant. Sed uberrimè Mag. Zagaglia, legendus per otium tom. 2. tractatu 1. disp. 8. Dixi sup. principium *intrinsecum individuationis substantiarum corporearum consistere in sola forma*: quia si sermo sit de principio extrinseco, sive de differentiâ extrinsecâ & quoad nos, illâ videlicet, quæ nos ducit in cognitionem individuorum, admittimus sententiam Porphyrii, & aliorum de collectione accidentium, ut liquet ex dictis in Logica n. 670.

Salmat. Blasco. Garcia. Ponce Bacca. Zagaglia.

SECTIO II.

De Prædicamento Quantitatis.

QUÆSTIO I.

Quid sit quantitas?

320 RESOLUTIO: Quantitas optimè definitur: *Accidens exigens propriam extensionem situalem, & impenetrabilem.* Deducitur ex Doctore in 3. dist. 1 q 1 art. 4. vers. *Ad tertium dico.* Coincidit cum definitione tra-

Baccon.

tradita à Mag. Blaſco tom. 1. Philoſ. l. 5. diſt. 17. q. 2. art. 2 num. 17. Eamdem amplectitur Mag. Garcia Metaph. diſt. 2. q. 4. art. 1. §. 2. n. 728. Ad definitionis intelligentiam prænotò primò, Quantitatem hîc non ſumi metaphoricè pro quantitate virtutis, ſed propriè pro quantitate molis. Quantitas virtutis conſiſtit in intrinſeca rei perfectione, ſecundùm quam dicitur maior, aut minor, vel magna, aut parva, etiam ſi res ſpiritualis ſit, ut Deus, qui *Optimus Maximus* dicitur à quantitate virtutis. Quantitas molis conſiſtit in eo, quòd rem corpoream cauſet molem, & extenſam, ut accidens, de quo in præſenti agimus, quod ſubſtantiam reddit extenſam. Blaſco. Garcia.

321 Prænoto ſecundò ex Magiſtro Garcia, extenſionem aliam dici entitativam, aliam totalem, aliam ſitualem, aliam impenetrabilem. Extenſio entitativa integratur ex partibus realiter diſtinctis. Totalis ſtat in extenſione partium per ordinem ad totum, ita quòd una alteri immediatè uniatur, & non aliis. Situalis conſiſtit in illa extenſione, quam partes habent, quando una eſt extra locum alterius, tametſi penetrari poſſint. Impenetrabilis dicitur illa extenſio, quam habent partes, quæ in eodem loco coexiſtere non poſſunt. Hinc Garcia.

322 Prænoto tertiò Quantitatem non conſiſtere in actuali extenſione entitativa, totali, ſituali, aut impenetrabili. Non in prima, aut ſecunda, quia utraque reperiretur in Subſtantia corporea, ſublatâ quantitate. Non in tertia, aut quarta, quia quantitas Corporis Chriſti in Sacramento nec habet actualem extenſionem ſitualem, nec impenetrabilem. Dixi ſupra, *in actuali extenſione*, quoniam tantùm per exigentiam ad extenſionem ſitualem, & impenetrabilem Quantitatem definimus, non per actualem extenſionem, ſicut neque per exigentiam ad

exten-

extensionem Substantiæ; benè verò ad propriam extensionem; prius enim est, quod Quantitas sit in se extensa, quàm quòd sit extensiva Substantiæ. Unde primum est effectus formalis primarius quantitatis; secundum verò est tantùm effectus secundarius ejusdem. His prænotatis,

323 Probo resolutionem, & primò ex Doctore, ubi sup. ad illa verba: *Extendi est actus formalis quantitatis primus, extendere subjectum est secundarius.* Ex quibus sic: Definitio Quantitatis debet explicare id, quod primò intelligitur in quantitate; sed ita se habet nostra definitio; cùm explicet extensionem propriam Quantitatis: ergo talis definitio rectè procedit juxta doctrinam Resoluti.

Baccon.

324 Secundò sic: Talis definitio constat genere, & differentia: ergo est bona. Probo antecedens. Particula, *accidens*, habet locum generis in hac definitione, eò quòd per talem particulam conveniat Quantitas cùm cæteris accidentibus, quæ non habent essentiam Quantitatis. Deinde reliquæ particulæ, *exigens propriam extensionem situalem, & impenetrabilem*, obtinent locum differentiæ; per illas quippe descriminatur Quantitas ab omni alio, quod ipsa non est: ergo.

325 Tertiò sic: Bona definitio alicujus rei recurrit cum constitutivo ipsius; sed constitutivum Quantitatis consistit in exigentia propriæ extensionis, ut declarat præfata definitio: ergo. Maior liquet. Probo minorem. Illud est formalissimum constitutivum alicujus rei, quòd prius intelligitur in tali re, estque radix cæterorum, quæ in ipsa reperiuntur; atqui exigentia propriæ extensionis situalis, & impenetrabilis est id, quod prius intelligitur in Quantitate, estque radix cæterorum, quæ in ipsa reperiuntur: ergo. Maior est certa. Probo minorem. In

Quan-

Quantitate tametſi reperiatur ratio menſuræ, diviſibilitas partium, impenetrabilitas, & virtus extenſiva ſubſtantiæ, nihilominus, ideo ipſa poteſt menſurare, quia eſt extenſa: ideo eſt diviſibilis in partes, quia illas extenſas habet: ideo eſt impenetrabilis, & extenſiva ſubſtantiæ, quia exigit extendi impenetrabiliter: ergo exigentia propriæ extenſionis ſitualis, & impenetrabilis eſt id, quod prius intelligitur in Quantitate, eſtque radix cæterorum, quæ in ipſa reperiuntur. Igitur &c.

Proponuntur objectiones, & diſſolvuntur.

326 NOſtræ reſolutioni opponuntur innumeri AA. in varias diſtributi ſententias. Prima docet, Quantitatem conſiſtere in ratio-
ne menſuræ. Ita D. Albertus Magnus tom. 1. tra- D.Alb.M.
ctatu 8. cap. 1. Tribuitur etiam hæc ſententia Caie- Caietanus
tano, imò & D. Thomæ. Cæterum Thomiſtæ po- D.Thom.
tius in noſtram inclinant. Secunda ſententia eſſentiam
Quantitatis ponit in diviſibilitate partium. Ita Soncin. Soncin.
q. 21. Jabellus q. 20. Citatur pro hac eâdem Scotus Jabell.
in Præd. q. 17. Tertia ſuſtinet, eſſentiam Quantita- Scotus.
tis ſtare in impenetrabilitate naturali. Ita communi-
niter Scotiſtæ, quos ſequitur Poncius Logicæ diſp. Poncius.
14. q. 2 concluſione ultima, & Dominicus à D. Pe- A D.Petr.
tro tractatu 3. Log. diſp 3. q 1. num. 4. Idem docent Conimbr.
communiter Doctores Societatis, nominatim Co- Suarius.
nimbricenſes, Suarius, Hurtadus, Oviedus, quos ci- Hurtad.
tat, & ſequitur P. Arriaga diſp. 6. Metaph. ſectio- Oviedus. Arriaga.
ne 1. ſubſectione 6. n. 38. Quarta Quantitatis eſſentiam tribuit extenſioni partium ſubſtantiæ: hanc defendunt plures Thomiſtæ, quibus adhæret Illuſtriſ-
ſimus Palanco tractatu 6. Logicæ q 4 Unde n. 17. ſic Palanco.
Quantitatem definit: *Accidens extenſivum partium*

substantiæ in ordine ad se. Mitto alias sententias, quorum fundamenta ex dictis, & dicendis in hac quæstione solvuntur facilè. Pro his omnibus, & in primis pro Authoribus primæ sententiæ

327 Objicies primò. Quantitas, juxta Philosophum, definitur per mensuram: ergo tua definitio, & quæcumque alia rejicienda est. Probas antecedens ex eodem Philosopho l. 10. Metaph. cap.
Aristotel. 2. in principio, dicente: *Maximè autem mensuram esse cujusque generis primum, & maximè propriè Quantitatis: hinc enim ad alia advenit: mensura enim id est, quo quantum cognoscitur.* Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem dico, Aristotelem, citato loco, non docere Quantitatem esse mensuram essentialiter, sed tantùm, mensuram esse proprietatem Quantitatis. Mensura enim vel est activa, vel passiva, hæc nullo pacto potest esse essentia Quantitatis; quia nihil aliud est, quàm potentia rei, ut mensuretur per mensuram activam, putà potentia pani mensurabilis per ulnam: illa verò, nempe activa, si est actualis, utpote contingens, nequit Quantitatem essentialiter constituere; si verò est potentialis, etiam non; quia punctum Quantitatis non habet hanc potentialitatem, nec etiam linea infinita possibilis. Cæterùm tametsi probetur aliquid esse quantum, quatenus est mensurabile, id provenit à posteriori, eo modo, quo per resibilitatem probare possumus hominem.

328 Objicies secundò pro secunda sententia. Quantitas expressè definitur ab Aristotele per divisibilitatem partium: ergo sic definiri debet. Probas antecedens ex eodem l. 5. Metaph. cap. 13 in
Aristotel. principio: *Quantum dicitur, quod in insita divisibile.* Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem dico, Philosophum ibi solùm describere

cribere Quantitatem per proprietatem divisibilitatis, quæ, cùm supponat priùs extensionem partium, non potest Quantitas per divisibilitatem ita propriè definiri; essentia enim semper est prædicatum formale, & primarium rei, in quo proprietates radicantur.

329 Objicies tertiò pro eâdem sententia. Species Quantitatis ponuntur juxta diversos modos divisibilitatis: ergo per divisibilitatem debet definiri Quantitas. Probas antecedens. Quantitas continua ponitur juxta divisibilitatem partium, quæ termino communi copulantur: Quantitas autem discreta per divisibilitatem partium, quæ non copulantur termino communi: ergo species Quantitatis ponuntur juxta diversos modos divisibilitatis. Respondeo ad objectionem distinguendo antecedens: Species Quantitatis ponuntur juxta diversos modos divisibilitatis, tanquam à signo nobis notiori, concedo antecedens: tanquam ex prima radice, nego antecedens. Deinde, applicatâ distinctione illius probationi, nego consequentiam. Unde tametsi per diversos modos divisibilitatis cognoscamus Quantitatis species, non sequitur, quòd in ipsa divisibilitate consistat essentia Quantitatis; hæc enim debet esse radix cæterorum, quæ in ipsa reperiuntur, ut supra dicebam; constat autem ex dictis, radicem istam esse extensionem illam, per quam Quantitatem definivimus.

330 Objicies quartò pro tertia sententia. Quantitas debet definiri per definitionem, quæ comprehendat omne definitum; sed ita se habet impenetrabilitas, non autem extensio: ergo per illam, non per istam debet definiri Quantitas. Maior liquet. Probas Minorem. Minimum Quantitatis est Quantitas; sed non est extensum, benè quidem impenetrabile: ergo. Respondeo ad objectionem, conceſsâ

Z ii maio-

maiore, negando minorem. Ad probationem nego suppositum, quòd detur, vel possit assignari minimum Quantitatis: quia continuum, juxta nostram sententiam, quæ est Aristotelica, divisibile est in infinitum, exquo nulla Quantitas dari potest ita minima, quæ saltem à Deo dividi non valeat. Quod si punctum non est extensum, etiam non est Quantitas, sed tantùm Quantitatis terminus, & complementum extensionis ejusdem.

331 Objicies quintò pro eâdem sententia. Non repugnat Quantitas unius palmi indivisibilis; sed hæc non esset extensa, benè verò impenetrabilis: ergo idem, quod supra. Respondeo ad objectionem negando maiorem. Repugnantia enim staret in eo, quòd talis Quantitas esset, & non esset materialis, & continua: esset, ut supponitur: non esset, quia non haberet partes, quæ sunt de essentia continui. Quòd si cælum non est ab agente naturali divisibile, est tamen à Deo.

332 Objicies sextò pro quarta sententia. Ratio formalis Quantitatis debet explicari per id, quod primò intelligitur in Quantitate, tanquam ratio à priori; sed quòd Quantitas sit extensiva substantiæ est quod primò intelligitur in Quantitate, tanquam ratio à priori: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Ideo Quantitas potest mensurare aliam, vel ab alia mensurari, quia est extensiva substantiæ. Ideo etiam est divisibilis in partes, & impenetrabilis: ergo quòd Quantitas sit extensiva substantiæ est quod primò intelligitur in Quantitate, tanquam ratio à priori. Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem. Ad probationem nego antecedens quoad utramque partem. Nam ratio à priori, & radix cæterorum, quæ in Quantitate reperiuntur, non ab eo, quòd ipsa sit extensi-

va ſubſtantiæ proveniunt, ſed ab eo, quòd ipſa in ſe ſit extenſa; prius enim eſt, quòd Quantitas ſit in ſe extenſa, quàm quòd ſit extenſiva ſubſtantiæ, ut ſupra non ſemel eſt dictum. Hoc idem ſentire videtur Illuſtriſſimus Palanco, ubi ſup. laudatus, tametſi per eſſe extenſivam ſubſtantiæ Quantitatem definiat. Palanco.

333 Objicies ſeptimò pro eâdem ſententia. Eſſentia accidentis debet explicari per ordinem ad ſubſtantiam, cui inhæret; ſed Quantitas eſt accidens: ergo definiri debet per hoc, quòd ſit extenſiva ſubſtantiæ, non per propriam extenſionem. Reſpondeo ad objectionem diſtinguendo maiorem: ſecundùm rationem communem accidentis, concedo maiorem: ſecundùm rationem diſtinctivam talis accidentis, ſubdiſtinguo: ſi accidens fuerit relativum, concedo maiorem: ſi fuerit abſolutum, nego maiorem. Unde quòd Quantitas dicat ordinem ad ſubſtantiam, cui inhæret, ſatis declarat prima particula poſita in definitione, nempe *accidens*, quo non obſtante definitur in ratione talis accidentis, non per hoc, quòd ſit extenſiva ſubſtantiæ, ſed per propriam extenſionem, tanquam per rationem ultimò diſtinctivam. Cùm ergo ſit accidens abſolutum, prius debet intelligi id, quod habet in ordine ad ſe, quàm ad illud

334 Objicies octavò, & directè contra noſtram definitionem, ſive adverſùs conſtitutivum, quod Quantitati aſſignamus. Quòd Quantitas habeat partes extenſas, non eſt id, quod priùs in Quantitate reperitur: ergo malè definitur illa per propriam extenſionem. Probas antecedens. Prius eſt, quòd Quantitas habeat partes, quàm quòd illas habeat extenſas: ergo. Reſpondeo ad objectionem diſtinguendo antecedens: non eſt id, quòd priùs in Quantitate

titate reperitur, tanquam distinctivum ipsius Quantitatis à substantia, & cæteris, quæ Quantitas non sunt, nego antecedens: aliter, quidquid sit. Ad probationem dico, quòd habere partes non est distinctivum Quantitatis à substantia, hæc quippe etiam habet partes, & quidem independenter à Quantitate. Est igitur primum distinctivum Quantitatis exigentia propriæ extensionis situalis impenetrabilis.

335 Objicies nonò. Exigentia extensionis situalis impenetrabilis convenit substantiæ corporeæ: ergo non est id, quod Quantitatem prius à substantia distinguit. Probas antecedens. Substantia corporea, sublatâ Divinitùs Quantitate, maneret extensa impenetrabiliter: ergo. Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem nego antecedens. Siquidem substantia corporea, Quantitate sublatâ, nec maneret extensa impenetrabiliter, nec exigentiam haberet ad extensionem situalem, sed meram non repugnantiam.

336 Objicies decimò. Definitio Quantitatis sup. tradita non convenit omni Quantitati: ergo rejicienda est. Probas antecedens. Non convenit Quantitati Corporis Christi in Eucharistia: ergo non convenit omni Quantitati. Probas antecedens. Quantitas Corporis Christi in Eucharistia non habet extensionem situalem, nec impenetrabilem: ergo. Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem nego antecedens. Ad probationem dico, Corpus Christi in Eucharistia habere Quantitatem naturaliter exigentem extensionem situalem, & impenetrabilem, tametsi actu illam non habeat, & sit Divinitùs penetratum cum Quantitate panis. Ex dictis

337 Deduces primò, Quantitatem non constitui per rationem mensuræ; quia admissâ lineâ infini-

infinitâ, hæc vera esset Quantitas prædicamentalis, & tamen non posset mensurari, nec mensurare, nisi fortè aliam lineam infinitam. Deduces secundò, divisibilitatem partium non posse constituere essentialiter Quantitatem; alioquin, sublata Quantitate, non esset substantia in partes divisibiles, nec illas distinctas haberet, cùm tamen oppositum constet ex sectione antecedente, quæstione 4. Deduces tertiò, nec impenetrabilitatem partium, nec virtutem extensivam substantiæ rationem constitutivi Quantitatis obtinere: non primam; quia calor summus non est Quantitas, & tamen impenetrabilis est per summam frigiditatem: non secundam; quia extensio partium substantiæ supponit extensionem Quantitatis.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Quantitas?

338 RESOLUTIO: Quantitas dividitur in continuam, & discretam. Prima definitur sic: *Cujus partes copulantur termino communi*, ut linea, cujus partes, medio puncto illas afficiente, copulantur. Secunda sic: *Cujus partes non copulantur termino communi*, ut numerus, qui ex unitatibus nullo medio unitis componitur. Prima subdividitur in Quantitatem permanentem, & successivam. Quantitas permanens est: *Cujus partes simul existunt*, ut v. g. Quantitas ligni, quod habet partes simul existentes;& hæc subdividitur in lineam, superficiem, & corpus, quæ cùm habeant (nota) diversas extensiones, dicuntur diversæ species Quantitatis. Linea sic definitur: *Extensio versus longitudinem.* Superficies sic: *Extensio versus latitudinem.* Cor-

Corpus sic: *Extensio versus profunditatem.* Quantitas verò successiva est illa: *Cujus partes non simul existunt*, ut tempus, & motus, quorum partes nequaquam simul existere possunt; benè verò una post aliam. Unde Quantitas successiva subdividitur in motum, & tempus. Motus definitur: *Actus entis in potentia prout in potentia.* Tempus sic: *Numerus motûs, seu partium motûs secundùm prius, & posterius.* Utraque definitio explicatur tom.3.

339 Secunda species Quantitatis, scilicet discreta, subdividi solet in numerum, & orationem. Numerus definitur: *Multitudo numerata per unum.* Subdividitur in numerum numerantem, & numeratum. Primus est actus intellectûs, quo multitudinem numeramus: Secundus verò consistit in ipsis rebus numeratis. Tandem oratio, quæ est altera species Quantitatis discretæ, definitur: *Quantitas, quæ mensuratur syllabâ longâ, & brevi.* Subdividitur autem hæc in musicalem, & poeticam, de quibus pro dignitate agere ad aliam disciplinam spectat.

QUÆSTIO III.

Quot sint Quantitatis proprietates?

340 RESOLUTIO: Proprietates Quantitatis quatuor communiter assignantur à Philosophis. Prima: *Quod non habeat contrarium*; siquidem duæ Quantitates non contrariantur, sicut duæ formæ, quæ ab eodem subjecto mutuo se expellunt; linea enim, superficies, & corpus sunt veræ Quantitatis species, & tamen una aliam non excludit à subjecto, inquo est. Convenit hæc proprietas etiam substantiæ, ut suo loco diximus. Secunda: *Quod non suscipiat magis, nec minus*; nam licèt

Corpus sic: *Extensio versus profunditatem.* Quantitas verò successiva est illa: *Cujus partes non simul existunt*, ut tempus, & motus, quorum partes nequaquam simul existere possunt; benè verò una post aliam. Unde Quantitas successiva subdividitur in motum, & tempus. Motus definitur: *Actus entis in potentia prout in potentia.* Tempus sic: *Numerus motûs, seu partium motûs secundùm prius, & posterius.* Utraque definitio explicatur tom.3.

339 Secunda species Quantitatis, scilicet discreta, subdividi solet in numerum, & orationem. Numerus definitur: *Multitudo numerata per unum.* Subdividitur in numerum numerantem, & numeratum. Primus est actus intellectûs, quo multitudinem numeramus: Secundus verò consistit in ipsis rebus numeratis. Tandem oratio, quæ est altera species Quantitatis discretæ, definitur: *Quantitas, quæ mensuratur syllabâ longâ, & brevi.* Subdividitur autem hæc in musicalem, & poeticam, de quibus pro dignitate agere ad aliam disciplinam spectat.

QUÆSTIO III.

Quot sint Quantitatis proprietates?

340 RESOLUTIO: Proprietates Quantitatis quatuor communiter assignantur à Philosophis. Prima: *Quod non habeat contrarium*; siquidem duæ Quantitates non contrariantur, sicut duæ formæ, quæ ab eodem subjecto mutuo se expellunt; linea enim, superficies, & corpus sunt veræ Quantitatis species, & tamen una aliam non excludit à subjecto, inquo est. Convenit hæc proprietas etiam substantiæ, ut suo loco diximus. Secunda: *Quod non suscipiat magis, nec minus*; nam licèt

cèt una Quantitas sit maior aliâ, nulla est magis Quantitas. Convenit etiam substantiæ præfata proprietas.

341 Tertia : *Quòd ab eâ dicantur res æquales, vel inæquales*; æqualitas quippe, & inæqualitas consequuntur ad mensurabilitatem ; mensurabilitas autem convenit omni, & soli Quantitati ; propriissimum est ergo Quantitatis esse mensuram activè, vel passivè, dum est apta, ut ejus applicatione metiatur alterius quanti magnitudo, & ut ipsa per alteram mensuretur Quantitatem. Quarta : *Quòd sit divisibilis in partes impenetrabiles cum alia quantitate, reddatque subjectum impenetrabile cum alio quanto, seu incompossibile naturaliter in eodem loco,* exquo ipsa naturaliter extendit suas, & subjecti partes in ordine ad locum.

QUÆSTIO IV.

Utrùm Quantitas sit accidens realiter distinctum à re Quanta?

342 RESOLUTIO est affirmativa. Ita Doctor in 1. dist. 28. q 2. art. 3. §. 1. ubi probans relationem habere propriam realitatem distinctam à realitate aliorum prædicamentorum, idem docet de qualitate, Quantitate, & cæteris prædicamentis Unde ibi §.2. vers. *Item quinto*, expressè ait: *Accidens est differens à substantia.* Idem docet l 3. dist. 11 q.2. & multis aliis in locis. Sequuntur Magistrum suum omnes ejus discipuli, nominatim Blasco, tom. 1. Cursus Philos. l. 5. dist. 17 q 2. & Garcia, Metaph. dist. 2. q 4 art. 2. §. 1. Estque sententia communis cum Aristotele, D. Thoma, Scoto, Ægidio, Suario, & cæteris Peripateticis, contra Nominales,

Baccon. Blasco. Garcia. Aristotel. D.Thom. Scotus. Ægidius. Suarius.

nales, & Atomiſtas. Sed ante reſolutionis probationem

343 Prænoto, quæſtionem procedere non modò de diſtinctione reali Quantitatis à ſubſtantia corporea, ſed etiam de accidentibus materialibus; non enim ſola ſubſtantia corporea dicitur Quanta, ſed & ipſa accidentia. Eſt igitur ſenſus quæſtionis: an id, quo ſubſtantia corporea, & accidentia dicuntur Quanta, ſit idem cum illis, an diſtinctum realiter? Dicimus eſſe realiter diſtinctum.

Ariſtot. 344 Probo reſolutionem, & primò ex Ariſtotele 7. Metaph. cap. 3. text. 8. dicente: *Materia ſubſtantia eſt: nam ſi hæc non eſt ſubſtantia, quæ alia eſſet, fugeret nos: demptis etenim cæteris, nihil aliud remanere videtur; cætera namque paſſiones corporum, & effectiones, & potentiæ ſunt. Longitudo verò, latitudo, & profunditas quantitates quædam, ſed non ſubſtantiæ ſunt, quantitas etenim non eſt ſubſtantia.* Confirmo ex eo, quòd materia prima, quæ eſt ſubſtantia, debet ut talis radicare aliquam proprietatem permanentem, à qua realiter diſtinguatur; ſed nulla alia eſt, quam radicet, niſi Quantitas: ergo Quantitas eſt accidens realiter diſtinctum à re Quanta.

345 Secundò ſic: Si Quantitas identificaretur realiter cum ſubſtantia, identificaretur cum materia prima Quanta; ſed hoc non: ergo. Maior liquet. Probo minorem. Si identificaretur realiter cum materia prima Quanta, etiam cum forma materiali; ſed cum forma non: ergo neque cũ materia. Maiorem concedunt Adverſarii. Probo minorem. Si identificaretur cum forma, ſequerentur duo apertè falſa: primum, quòd materia, & forma non poſſent penetrari, ſicut non poſſunt duæ materiæ. Secundum, quòd minus Quantitatis haberet homo, quàm brutum æqualis dimenſionis,

ſionis, ac denſitatis; cùm ille ſolùm gauderet Quantitate materiæ, hoc autem Quantitate materiæ, & formæ.

346 Tertiò ſic: (hoc eſt potiſſimum hujus ſententiæ fundamentum.) Quod realiter ſeparatur, aut ſeparari poteſt ab alio, realiter diſtinguitur ab illo; ſed ſubſtantia corporea realiter ſeparatur à Quantitate; & ab iſta ſeparari poſſunt alia accidentia: ergo Quantitas realiter diſtinguitur tam à ſubſtantia corporea, quàm ab aliis accidentibus. Maior eſt certa, conſtatque ex ſignis diſtinctionis realis, de quibus ſuo loco egimus. Probo minorem quoad primam partem. In Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento manet Quantitas panis abſque ſubſtantia: ergo ſubſtantia corporea ſeparatur à Quantitate. Probo eamdem minorem quoad ſecundam partem. Frigus, & calor poſſunt ſeparari ab aqua, perſeverante eâdem Quantitate in illa: ergo. Hoc fundamentum adeo efficax eſt, quòd P. Arriagam impulit, ut fateretur noſtram ſententiam probabiliorem eſſe, tametſi ipſe contrariam docuiſſet. Unde Metaph. diſp. 6. ſectione 1. ſubſectione 5. n. 36. inquit: *In præſenti verò ob argumentum de Sacramento Euchariſtiæ nihilominus negari nequit, quin longè faciliùs, & clarius circa Myſterium illud per quantitatem diſtinctam diſcurratur, quam ſine illa.* Arriaga.

Proponuntur objectiones, & diſſolvuntur.

347 NOſtræ reſolutioni opponuntur Veteres Stoici exiſtimantes, Quantitatem non diſtingui realiter à ſubſtantia, ſicut neque ab aliis accidentibus, quam opinionem, ut refert Maſius Logicæ ſectione 1. de Quantitate q. 5. jam ferè oblivioni traditam ſuſcitarunt Okamus, Gabriel, Gregorius, Maſius. Okamus. Gabriel. Gregor.

 gorius,

Marsilius. gorius, Marsilius, & cæteri Nominales. Eamdem amplectuntur Atomistæ omnes, & Cartesiani, quos alibi ex professo impugnavimus. Modò adversùs resolutionem statutam

348 Objicies primò. Ponamus Petrum in aliquo loco; Deumque auferre ab eo Quantitatem. In hoc casu, vel Petrus manet adhuc in eodem loco, vel non? Si primum: ergo in illo habet partem extra partem, & per consequens Quantitatem indistinctam à substantia. Si secundum: ergo moveretur ad alium locum. Sed quod movetur habet partem extra partem: igitur semper habet Quantitatem indistinctam. Respondeo ad objectionem, & dico, Petrum in tali casu non manere in eodem loco circunscriptivè; nam ipse in eodem loco perseverans, solùm esset divisibilis intensivè in partes subjectivas, non extensivè in partes extra partes; siquidem hæc divisibilitas fit à Quantitate, quâ Petrus careret, ut supponitur; certum enim est: *Quod divisibilitas partis extra partem, & extensiva primò, & essentialiter convenit Quantitati* In 2. dist. Baccon. 11. q. 1. art. 2. §. 3. vers. *Ad aliud dicitur.* Addo, non repugnare Petrum habere partem extra partem in tali loco, adhuc ablatâ Quantitate, quia extensio localis est à Quantitate per exigentiam; Petrus verò posset illam habere per non repugnantiam.

349 Objicies secundò. Substantia materiæ primæ per se ipsam exigit impenetrationem; sed impenetratio est propria Quantitatis: ergo substantia materiæ primæ per se ipsam est Quanta, non per Quantitatem distinctam. Respondeo ad objectionem negando maiorem; quia substantia materiæ primæ solùm ratione Quantitatis exigit impenetrationem, sicut ratione tantùm ejusdem exigit extensionem, exquo sequitur, quòd si fortè sine Quantitate essent

ex-

extensæ illius partes, facile reducerentur ad punctum ab agente naturali.

350 Objicies tertiò. Substantia corporea non potest dari, nec intelligi sine corpore; sed corpus ex se est Quantum: ergo Quantitas non distinguitur realiter à substantia corporea. Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem, & consequentiam. Quia corpus solùm est quantum per Quantitatem distinctam. Loquor de corpore substantiali, sive de illo, quod est de categoria substantiæ, quod quidem distinguitur ab spiritu, non ex eo, quòd ex se sit quantum, bene verò quia habet partes realiter divisibiles in partes integrantes, seu entitativas, quibus spiritus caret.

351 Objicies quartò. Substantia corporea, & Quantitas simul oriuntur: ergo sunt idem realiter. Respondeo ad objectionem, dato antecedente, negando consequentiam; quia hæc solùm valet, quando antecedens procedit de illis, quæ in eâdem categoria continentur. Dixi, *dato antecedente*; quia saltem prioritate naturæ antecedit substantia Quantitatem.

352 Objicies quintò. Substantia spiritualis v.g. Angelus, non indiget formâ aliquâ à se distinctâ, ut sit penetrabilis: ergo neque substantia corporea indiget Quantitate distincta ut sit extensa, & impenetrabilis. Respondeo ad objectionem, concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est: quia nihil assignabitur in Angelo, per quod penetrationi resistat, ideoque non indiget formâ distinctâ, per quam reddatur penetrabilis. At verò substantia corporea, cùm ex se sit indivisibilis Quantitativè, & solùm entitativè divisibilis, indiget Quantitate distincta, per quam reddatur extensa, & impenetrabilis; neque enim ei potest competere effectus formalis Quantitatis.

353 Obji-

353 Objicies sextò. Non sunt multiplicandæ entitates absque necessitate; sed nulla est necessitas distinguendi Quantitatem à re quanta: ergo non distinguitur. Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem. Quia necessitas hîc stat in eo, quòd alioquin sequerentur duo illa, de quibus sup. n. 345. Præterquamquod definitum est, in Sacra Eucharistia remanere accidentia panis sine substantia panis, ut haud inefficaciter ostendimus in Systemate Bacconico de Formis materialibus adversùs Atomistas, & Cartesianos. Quòd si ipsi docent, in Sacramento esse species panis, & vini miraculosè, absque Quantitate distincta, optimè impugnantur ex eo, quòd non sint multiplicanda miracula, absque necessitate, utî arguunt de multiplicatione entitatum.

354 Objicies septimò. Non minus in Sanctissimo Eucharistiæ Sacramento experimur effectum Quantitatis, quàm effectum substantiæ, nempe nutritionem; sed ex hoc secundo non sequitur dari substantiam panis in Sacramento: ergo neque ex primo sequitur dari Quantitatem. Respondeo ad objectionem, permissâ maiore, & concessâ minore, negando consequentiam. Dispar ratio est: quia substantia panis est causa efficiens nutritionis, cujus effectum Deus potest supplere. Ast Quantitas est causa formalis extensionis. Docet Mair tom. 2. n. 277. ex Suario, quòd dum homo nutritur ratione præceptæ Sanctissimæ Eucharistiæ, nutriatur ex materia à Deo de novo creata, vel, ut alii dicunt, ex reproductâ illâ, quæ prius per consecrationem fuerat destructa. Dixi, *permissa maiore*, quia illud secundum raró accidit.

Mair. Suarius

355 Objicies octavò. In Sacra Eucharistia, destructâ substantiâ panis, destruitur pariter Quantitas

titas ſubſtantialis ejuſdem, remanente Quantitate accidentali cum cæteris accidentibus realiter identificatâ: ergo ex Sacra Euchariſtia non colligitur Quantitatem ſubſtantialem eſſe diſtinctam realiter à re Quanta. Reſpondeo ad objectionem negando ſuppoſitum, videlicet, quòd detur duplex Quantitas, ſubſtantialis una, altera accidentalis. Alioquin enim daretur eodem jure duplex qualitas una ſubſtantialis, alia accidentalis. Similiter daretur duplex relatio, duplex actio &c. Inſuper multiplicarentur miracula in Euchariſtia ſine neceſſitate; ſiquidem unumquodque accidens ibi conſervaretur abſque ſubjecto communi, inquo omnia connaturaliter exiſtant. Ex dictis

356 Deduces, Quantitatem eſſe accidens ſpeciale à cæteris diſtinctum conſtituensque ſpeciale prædicamentum. Unde omne accidens extenſum, & impenetrabile tale eſt ratione ſolius Quantitatis diſtinctæ, cui inhæret. Eſt autem impenetrabilitas repugnantia duorum coexiſtentium in eodem loco, non in eodem ſubjecto, quæ quidem repugnantia non reperitur in qualitatibus, eò quòd ex ſe nec ſunt impenetrabiles, nec Quantæ.

SE-

SECTIO III.

De Prædicamento Qualitatis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Qualitas?

357 RESOLUTIO: Qualitas optimè definitur sic: *Accidens absolutum perfectivum subjecti actualis.* Deducitur ex Doctore in 1. dist. 8. q. 1. art. 2. §. 7. vers. *Sequitur*, in fine, ubi concludens, quòd ratio Qualitatis sit informare subjectum, remittit se, ibidem, ad l. 2. dist 27. art. 2. ubi informativum Qualitatis explicat per perfectivum, quod rectè notavit Mag. Garcia Metaph. dist. 2. q. 6. art. 1. §. 3. n. 1003. quibus à me satis exploratis, placuit præfatam accipere definitionem, juxta Bacconii mentem, maximè cùm omni, & soli Qualitati conveniat absque vitiis, & maculis, quæ in reliquis definitionibus ab AA. inventis reperiuntur, ut mox videbimus. Ad illius intelligentiam

Baccon.

Garcia.

358 Prænoto primò, Qualitatem latè sumptam significare formam actuantem, seu adjacentem non modò accidentalem, sed etiam essentialem, quo pacto non est propria prædicamenti Qualitatis, sed etiam in prædicamento substantiæ, & in aliis prædicamentis reperitur. Etenim, ita sumpta, convenit differentiæ substantiali, sive essentiali, v. g. rationali, quod advenit generi, nempe animali, & de Petro, atque de reliquis naturæ humanæ individuis in *Quale quid* prædicatur, uti in Log. diximus tract. 2.

2 & 3. Convenit etiam omni accidenti, vel hoc ſit quantitas, vel relatio &c. omnia quippe prædicantur in *Quale* de ſubjectis, quibus conveniunt.

359 Prænoto ſecundò, Qualitatem non ita ſumi in præſenti, ſed ſtrictè pro forma accidentali, per quam abſolutè reſpondemus interrogationi de *Quale*, quæ propterea eſt diſtincta ab omnibus aliis prædicamentis. Nam, ſi quæratur, qualis eſt Petrus, non ſatisfit interrogationi dicendo, eſt rationalis, niſi fortè quæratur, quale animal ſit, quia in hoc caſu quæritur de Qualitate eſſentiali, factâ illâ modificatione, *Quale animal*, ut benè advertit Mag. Didacus à Jeſu infra citandus. Aſt ſi quæratur ſine modificatione, *Quale animal*, ſed abſolutè, Qualis ſit Petrus, non ita bene reſpondetur, ut obſervat idem Mag. ibidem, & Paulus Valius in Log. de Qualitate cap. 1. & multò minus, quòd ſit quantus, relatus, vel quòd agat, patiatur, vel quòd ſit amictus &c. ſed ſolùm aptè reſpondetur, quòd ſit albus, calidus, ſtudioſus &c. Quare ſolùm id, quo aliquis denominatur abſolutè, & propriè Qualis, eſt Qualitas, de qua in præſenti agimus. Didacus. Valius.

360 Idcirco Ariſtoteles cap. de Quali, & Qualitate, in principio, deſcribit Qualitatem prædicamentalem dicendo, eſſe illam, *qua quales quidam dicuntur*, ut legitur in textu, quem præmanibus habeo, ſive, *qua quales nominamur*, uti refert Didacus Maſius Dominicanus diſp. de Qualitate ſect. unica q. 1. in principio, ubi verſ. *Sit tamen*, in illo verbo, *nominamur*, ſive, *dicimur*, inquit, ex obſervatione B. Alberti Magni, Caietani, & aliorum, latere myſterium; ſiquidem debet intelligi (uti aſſerunt) de nobis hominibus. Quod explicat advertendo, alias eſſe Qualitates corporeas, ut calor, frigus, &c. alias ſpirituales, ut virtus, ſcientia &c. Ariſtotel. Maſius. B. Albert. Caietan.

quapropter homines cùm corpore, & animâ consstent, Qualitatibus utriusque generis afficiuntur; & cùm Aristoteles utrasque intenderet comprehendere, hâc de causâ dixit, Qualitatem esse, *Qua* (nos homines) *quales nominamur*, sive *dicimur*. Ita fermè Mag. Didacus à JESU Carmelita noster in Log. cap. 8. de Qualitate, & Quali disp. 15 q. 1. ex quibus colligit iste, sicut & tenet alter Didacus, rectam esse definitionem Aristotelicam. Verùm illa est tantùm Qualitatis descriptio, ut infra ostendemus.

Valius. 361 Prænoto tertiò ex Valio supra laudato, tres conditiones requiri ad Qualitatem, de quâ est sermo. Prima, quòd sit forma accidentalis, per quam excluditur differentia substantialis, estò hæc dicatur Qualitas in sensu lato. Secunda, quòd sit forma intrinseca rei, determinans ipsam per aliquid, quòd sit in ipsa re, per quam excluditur omne id, quod rem extrinsecè tantùm determinat, non manens in ipsa re, ut ubi, quando, situs &c. Tertia, quod sit forma propriè rem determinans, per quam excluditur quantitas, quæ solùm impropriè dici potest rem determinare, cùm ex se solùm dicat extensionem propriâ determinatione egentem. His prænotatis,

362 Probo bonitatem definitionis sic: Illa est bona definitio, quæ constat genere, & differentiâ, & satis benè explicat essentiam definiti; sed ita se habet definitio nostra Qualitatis: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Talis definitio constat illâ particulâ, *accidens*, & aliis *absolutum perfectivum subjecti actualis*; sed *accidens* est genus, estò analogicum, ad alia genera accidentium. Deinde particula, *absolutum*, est differentia à relatione, & particulæ, *perfectivum subjecti actualis*, continent differentiam ab aliis prædicamentis; cùm quantitas respiciat

piciat ſubjectum, ſive materiam, tantùm in potentia ad formam ſubſtantialem, & actio reſpiciat potius agens, & terminum, quàm ſubjectum; paſſio ſolùm ſubjectum potentiale, ſive prout eſt in potentia ad recipiendum: alia verò prædicamenta certè non dicũt denominationem intrinſecam perfectivam ſubjecti, ſed tantùm extrinſecam: ergo talis definitio conſtat genere, & differentiâ, & ſatis benè explicat eſſentiam definiti. Nec obſtat, quòd non explicet difinitum per genus rigoroſum; cùm enim Qualitas ſit genus ſupremum hujus prædicamenti, nequit habere ſupra ſe rigoroſum genus, per quod melius definiatur.

Proponuntur objectiones, & diſſolvuntur.

363 NOſtræ reſolutioni opponuntur unus, & alter Didacus ſupra. Paulus Valius citatus, Illuſtriſſimus Joannes Cano Log. l. 4 diſp. 5. q. 1. verſ. *Sit concluſio*, Illuſtriſſimus Palanco Log. tract. 6. q 7. Complutenſes noſtri Log. diſp. 15. q 1. aliique plures, præſertim Antiqui, quos citat idem Didacus Maſius, ubi ſupra, quatenus rectam docent eſſe definitionem Ariſtotelicam Qualitatis, videlicet illam, de quâ nuper mentionem fecimus: *Quâ quales eſſe dicimur*, ſive (ut legunt alii) *nominamur*, quam ſententiam tenet ex parte Mag. Garcia, ubi ſupra. Opponuntur etiam Conimbricenſes, Telles, Auguſtinus Laurentius, & alii Doctores, præſertim Societatis, ſequentes Suarium Eximium, qui Qualitatem primus omnium ſic definivit: *Accidens quoddam abſolutum adjunctum ſubſtantiæ creatæ ad complementum perfectionis ejus, tam in exiſtendo, quam in agendo.* Omnes citat idem Auguſtinus Laurentius Metaph. tract. 4. de Qualitate diſp. 1. ſect 1. num.

Didacus Maſ.
Didacus à JES.
Valius.
Cano.
Palanco.
Complut.
Conimbr.
Telles.
Aug. Laur.
Suarius.

num. 12. cæterùm non dat formalia verba Suarii, ut videre est apud ipsum.

Poncius. 364 Opponitur etiam Poncius Log. disp. 16. de Qualitate, q. 1. n. 9. ubi, postquam rejecerat varias Qualitatis definitiones, sic eam definit: *Accidens absolutum penetrabile.* Et novissimè P. Ludovicus de Lossada Metaph. disp. 3. cap. 6. n. 107. cui satis apta videtur hæc definitio: *Accidens physicum, & absolutum, & quod sequitur formam potius, quàm materiam.* Mitto definitionem communem Thomistarum, quam in multis peccare ostendit Mag. Banaspes Log. tract. 5. disp. 4. n. 280. Mitto etiam definitionem traditam à Mastrio, quam impugnat Poncius ubi supra n. suo 8. Et Oviedo Metaph. controv. 8. puncto 1. num. 4. Mitto etiam definitionem Hurtadi impugnatam à Complutensibus nostris, ab eodem Poncio, à Mastrio, à Mag. Garcia, & ab omnibus ferè AA. Mitto denique alias definitiones; quippè quas alii approbant, alii reprobant. Unde meritò dixit Aug. lib. Categoriarum, difficile semper fuisse essentiam Qualitatis aptè definire. Igitur pro AA. supra relatis, & imprimis pro illis, qui Aristotelicam definitionem defendunt.

Lossada. Bona spes Mastrius. Oviedus. Hurtadus D. August

Aristotel. 365 Objicies primò. Ubi Princeps Peripateticorum definivit, non debent Peripatetici libertatem definiendi usurpare; sed Aristoteles Peripateticorum Princeps, cap. de Quali, & Qualitate, sic definivit Qualitatem: *Qua quales esse dicimur*, sive *nominamur*: ergo sola hæc definitio cæteris omnibus aptior est. Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem: ubi Princeps Peripateticorum definivit &c. quando definivit per definitionem rigorosam, concedo maiorem: quando non ita definivit, nego maiorem. Deinde, applicatâ distinctione minori, nego consequentiam. Igitur Aristoteles loco citato

non definivit rigorosè Qualitatem, sed tantùm eam descripsit, ut tenent Porphirius, Amonius, Simplicius, Boetius, B. Albertus, & Caietanus, quos citat Mastrius supra laudatus. Plures talem descriptionem reprehendunt, ex eo, quòd in eâ idem per ordinem ad se ipsum describatur, cùm Quale formaliter ipsam Qualitatem involvat, adeoque nec prius, nec notius sit Qualitate ipsâ. Quod (ut Hurtadum, Mag. Bonam spem, & alios prætercam) validè ostendit Poncius, ubi supra. Porphir. Amonius. Simplic. Boetius. B. Albert. Caietanus Mastrius. Poncius.

366 Alii dicunt, quòd est rediculum Qualitatem per *Quale* describere, non minus, ac ignoranti v. g. naturam albedinis albedinem ipsam per ordinem ad album explicare, ex quo fundamen arripuit Ona in præsenti q. 1. art. 1. asserendi, Philosophum essentiam Qualitatis non cognovisse. Cæterùm quamvis Aristoteles non definiat in rigore Qualitatem, non propterea asserendum est, ipsum illius quidditatem ignorasse, nec quòd sit ridicula illa descriptio, cùm enim hominibus tradita sit, ad quos acquisitio scientiarum spectat, ita illam describit Aristoteles, quòd det occasionem investigandi per eam alia prædicamenta; quasi sensus descriptionis sit: *Qualitas est accidens, quod neque est quantitas, nec relatio, nec actio, &c.* ita ut per Qualitatem possimus intelligere formam, quâ non quanti, nec relati &c. sed tantùm quâ Quales nominemur. Sic exponit Poncius præfatam Philosophi descriptionem, & fortassè in hoc sensu illam approbat Resolutus in 1. dist. 14. quæst. unica art. 4. §. 2. vers. *Confirmatur tertiò.* Aristotel. Ona. Poncius. Baccon.

367 Objicies secundò pro Suaristis supra citatis. Hæc definitio Qualitatis: *Accidens quoddam absolutum adjunctum substantiæ creatæ ad complementum perfectionis ejus, tam in existendo, quàm*

in

in agendo, habet omnes conditiones bonæ definitionis: ergo tenenda eſt. Reſpondeo ad objectionem negando antecedens; quia præterquamquod talis definitio multas contineat particulas ſuperfluas, nempè particulam, *quoddam*, & particulas, *adjunctum ſubſtantiæ creatæ*, ex eo, quòd, ſi eſt accidens, eſt quoddam accidens, & eſt adjunctum ſubſtantiæ creatæ; præterea non rectè explicat naturam Qualitatis. Nam vel illæ particulæ, *tam in exiſtendo*, *quàm in agendo*, ſumuntur collectivè, vel diviſivè? Si collectivè, non conveniunt omni Qualitati, nempè Qualitatibus non activis: ſi disjunctivè, ſequitur, quòd per talem definitionem definiantur Qualitates in particulari, non Qualitas, ut ſic. Ita diſcurrunt Complutenſes noſtri, Mag. Garcia, & Poncius, ubi ſup. citati.

Poncius. 368 Objicies tertio pro Poncio laudato. Hæc definitio: *Accidens abſolutum penetrabile*, convenit omni, & ſoli Qualitati: ergo Qualitas ita debet definiri. Reſpondeo ad objectionem negando antecedens. Quia talis definitio convenit puncto de genere quantitatis, eò quòd punctum de tali genere ſit accidens abſolutum, & cum aliis rebus in eodem loco penetrabile, utpote indiviſibile. In multis aliis peccare talem definitionem oſtendit Maſtrius, ubi ſupra, art. 1. propè finem. Maſtrius.

369 Objicies quartò pro Patre Loſſada, etiam ſupra citato. Inter tot Qualitatis definitiones hæc ſatis eſt apta: *Accidens phyſicum, & abſolutum, quod ſequitur formam potius, quàm materiam*: ergo. Reſpondeo ad objectionem negando antecedens. Quia figura Qualitas quædam eſt, & tamen potiùs ſe tenet ex parte materiæ, quàm formæ. Actio, econtrariò, ſe tenet ex parte formæ, & tamen Qualitas non eſt. Deinde impulſus lapidis ſurſum tendentis

Loſſada.

dentis

dentis est Qualitas ei impressa, quæ formam non sequitur, alioqui enim, ut bene notavit Mag. Garcia hic, num. 996. talis motus esset naturalis, non violentus. Garcia.

370 Objicies quintò, & directè contra nostram definitionem. Talis definitio continet particulam superfluam: ergo non est bona. Probas antecedens. Continet illam particulam, *absolutum*; sed hæc particula est superflua: ergo talis definitio continet particulam superfluam. Maior liquet. Probas minorem. Si equus definiretur: *Animal irrationale hinnibile*, particula, *irrationale*, esset superflua in tali definitione: ergo, similiter, si Qualitas definiatur: *Accidens absolutum* &c. particula, *absolutum*, erit superflua. Antecedens patet. Probas consequentiam. Ideo particula, *irrationale*, esset superflua in prima definitione, quia immediatè fundatur in proprio equi conceptu, ex eo enim, quòd equus sit *animal hinnibile*, certum est, quòd sit irrationale; sed etiam ly, *absolutum*, fundatur in proprio Qualitatis conceptu, siquidem ex eo, quòd Qualitas definiatur, jam intelligitur, quòd sit aliquid absolutum: ergo. Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem, concessâ maiore, nego minorem. Ad probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Ad probationem consequentiæ distinguo maiorem: Quia immediatè fundatur in proprio equi conceptu, ex quo nobis sufficienter constat differentia ipsius à cæteris omnibus differentiis, concedo maiorem: aliter, nego maiorem. Deinde nego minorem quoad secundam partem; quia, nisi ponatur illa particula, *absolutum*, in definitione Qualitatis, non intelligitur, quòd ipsa sit aliquid absolutum, nec quòd distinguatur à relatione, maximè cùm hæc dicat etiam perfectionem ex genere

suo,

ſuo, in ſententiâ Reſoluti, idcirco opus eſt ponere
Complut. talem particulam in definitione. Quidquid in contrarium judicant Complutenſes noſtri, ubi ſupra, impugnando, etiam ex hoc titulo, definitionem Suarii.

371 Objicies ſextò, & ultimò. Talis definitio competit quantitati: ergo non eſt propria Qualitatis. Probas antecedens. Quantitas eſt accidens abſolutum perfectivum ſubjecti actualis; ſed in hoc ſtat definitio Qualitatis: ergo talis definitio competit quantitati. Probas maiorem. Imprimis quantitas eſt accidens abſolutum: deinde perficit ſubjectum actuale: ergo. Antecedens quoad primam partem eſt certum. Probas quoad ſecundam. Quantitas informat ſubjectum actuale; ſed informare, in phraſi Doctoris, eſt perficere: ergo quantitas perficit ſubjectum actuale. Probas maiorem. Quantitas non informat ſubjectum, nempè materiam primam, antequam hæc informetur per formam ſubſtantialem; ſed ſubjectum, poſtquam informatur per formam ſubſtantialem, eſt ſubjectum actuale: ergo quantitas informat ſubjectum actuale.

372 Reſpondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem nego maiorem. Ad probationem, conceſſâ primâ parte antecedentis, nego ſecundam. Ad probationem iſtius nego maiorem. Ad probationem diſtinguo maiorem: quantitas non informat ſubjectum, nempe materiam primam, antequam &c. non informat reddendo illam actu figuratam, & terminatam, concedo maiorem: reddendò illam formaliter figurabilem, & terminabilem, nego maiorem. Informat igitur quantitas materiam in illo prioritatis ſigno, reddendo illam figurabilem, & extenſibilem, quod ſufficit ad hoc, ut non ſit proprium quantitatis informare, ſive perficere ſubje-

ſubjectum actuale, ſicut Qualitas; cùm quantitas in illo prioritatis ſigno ſit accidens ſubjecti potentialis, non actualis; materia enim eſt in pura potentia pro priori ad formam ſubſtantialem. Ex dictis

373 Deduces, quòd licèt in Qualitate idem ſit informare, ac perficere, non abſolutè hoc ita debet intelligi, ſed tantùm quando informatio eſt juxta, vel ſupra exigentiam ſubjecti, cui ineſt. Calor enim, cùm non ſit juxta, nec ſupra aquæ exigentiam, illam non perficit, ſed potiùs ad ejus deſtructionem diſponit, niſi velis dicere, quòd perficit eam in ratione calidæ. Ex quo fit, particulam, *perfectivum*, in definitione ſemper recurrere cum particula, *informativum*, & quòd informativum re ipſâ perficiat, quando informat juxta, vel ſupra ſubjecti exigentiam.

QUÆSTIO II.

Quotuplex ſit Qualitas?

374 RESOLUTIO: Qualitas dividitur in quatuor ſpecies bimembres, videlicet in habitum, & diſpoſitionem; potentiam, & impotentiam; paſſionem, & paſſibilem qnalitatem; formam, & figuram. Habitus, de quo hic agimus, (omiſſis variis hujus nominis ſignificationibus impertinentibus ad rem præſentem) definitur: *Qualitas difficilè mobilis à ſubjecto.* Diſpoſitio verò (omiſſis etiam aliis acceptionibus, quæ hujus loci non ſunt) definitur: *Qualitas facilè mobilis à ſubjecto.* In hoc conveniunt omnes cum Ariſtotele; cæterùm multi non Ariſtotel. aptè explicant præfatas definitiones, quæ ſanè aliquâ elucidatione egent. Igitur ad intelligentiam utriusque definitionis ſcire oportet, illos, qui diſciplinas, ſive

facultates, non multùm retinent, non dici habere habitum, sed esse tantùm dispositos, utî ipsemet Philosophus docet; eos verò, qui multùm retinent facultates, non tam dici esse dispositos, quinimò habere habitum; & hoc non aliâ de causâ, nisi, quia à prioribus subjectis possunt facultates illæ facilè removeri; à secundis verò non nisi difficilè.

375 Ex quibus manifestè colligitur contra Thomistas, habitum, & dispositionem non differre essentialiter inter se, sed tantùm accidentaliter, & materialiter; solùm quippe differunt secundùm quod facilè, aut difficilè à subjecto removeantur. Quapropter dixit Philosophus, dispositionem, procedente tempore, fieri habitum; eumdemque calorem, dum hic facilè à subjecto removetur, esse dispositionem; esse verò habitum, dum, procedente etiam tempore, difficilè removetur.

Aristotel.

376 Scio Caietanum docuisse, habitum esse Qualitatem illam, quæ difficilè ex naturâ suâ removetur, non autem illam, quæ ex conditionibus subjecti hoc habet; ita quòd, estò hoc habeat ex conditionibus subjecti, si id non habeat ex naturâ suâ, sed potiùs ex natura sua facilè removeatur, sit dispositio, non habitus: sicut, econtrariò, docuit ipse, dispositionem esse Qualitatem, quæ facilè ex natura sua removetur, non autem illam, quæ ex conditionibus subjecti hoc habet, ita quòd, licèt hoc habeat ex conditionibus subjecti, si tamen id non habeat ex natura sua, sed potiùs ex natura sua difficilè removeatur, sit habitus, non dispositio. Cæterùm (quamvis verum sit scientias, virtutes, & alias qualitates, quæ ex naturâ suâ difficilè removentur, esse habitus; dispositiones verò illas, quæ etiam ex suâ naturâ facilè removentur,) valdè attendendum est id, quod de facto illis convenit erga subjectum,

Caietanus

sive

ſive ex natura ſua, ſive per accidens, ita ut ſi de facto aliqua Qualitas difficilè removeatur à ſubjecto, etiam per accidens, ſit habitus; ſi verò de facto facilè removeatur, licèt per accidens, ſit diſpoſitio. Ex quibus manifeſtè colligitur, poſſe dici habitum, quod alioquin erat diſpoſitio, & econverſò. Quia, juxta Ariſtotelem, quamvis diſciplinæ, ſive facultates ſint verè habitus, ſi tamen facilè removentur à ſubjecto, dicuntur diſpoſitiones, etiam ſi hoc per accidens contingat.

377 Dividitur ulterius Qualitas in Qualitatem ſupernaturalem, præternaturalem, & naturalem. Naturalis ſubdividitur in ſpiritualem, & corpoream. Corporea in cæleſtem, & ſublunarem. Sunt & aliæ Qualitatis ſpecies, quæ omnes ſparſim ab AA.explicantur, ubi commodiùs de illis agere opus eſt. Nos in præſenti de iſtis non multùm curamus; tantùm quippe intendimus tradere ſufficientem notitiam earum ſpecierum, in quas Ariſtoteles pro ſtudentium commodo Qualitatem diviſit.

378 Igitur potentia, quæ eſt primum membrum ſecundæ ſpeciei Qualitatis traditæ à Philoſopho, ſic definiri poteſt: *Qualitas congenita cum natura, & expedita, ut ſubjectum poſſit immediatè operari.* Impotentia verò ſic: *Qualitas congenita cum natura, & impedita, ut ſubjectum poſſit immediatè operari.* Utraque differt ab habitu, & diſpoſitione. Pro quarum intelligentia eſt advertendum, principium operationis dupliciter conſiderari poſſe, vel quatenus eſt ſimpliciter neceſſarium ad operandum, vel tantùm ad benè operandum, ita ut ſine illo poſſit quis abſolutè operari. Sic intellectus, ſive potentia intellectiva, eſt principium ſimpliciter neceſſarium operandi intelligibiliter, ſive intelligendi; habitus verò ſcientiarum eſt principium benè intelli-

gendi. Primum invenitur etiam in rustico: secundum non nisi in homine docto. Ex quibus patet, habitum, & dispositionem differre essentialiter à potentiâ, & impotentia; quia potentia, & impotentia ordinantur ad operationem simpliciter; habitus verò, & dispositio ad benè operandum. Item potentia est virtus immediatè elicitiva operationis; habitus autem non immediatè elicit actum, sed potentiam ad agendum disponit, in quo sensu est etiam dispositio, non obstante conceptu habitûs de quo supra n. 374.

379 Est igitur potentia Qualitas congenita cum naturâ, ut subjectum possit simpliciter operari; impotentia verò est Qualitas congenita cum naturâ, ut subjectum simpliciter operetur, non quidem promptè, & validè, sed cum aliquo impedimento, & debilitate. Ex quibus sequitur, potentiam, & impotentiam differre tantùm accidentaliter inter se, sicut perfectum, & imperfectum intra eamdem causam. Neque enim impotentia, de quâ est sermo, est aliquid præter ipsammet potentiam cum defectu, utî se habet potentia debilis videndi comparata cum eâdem potentiâ acutâ, inter quas nulla est essentialis distinctio in ratione potentiæ, sed tantùm accidentalis in ratione debilis, & acutæ.

380 Passio, utî de eâ hîc agimus, definiri potest sic: *Qualitas citò transiens à subjecto, quæ vel in ipso à passione causatur, vel est afficiens sensum.* Passibilis verò Qualitas sic: *Qualitas diu permanens in subjecto, quæ alterationem causat, vel ab ipsâ causatur.* Utraque discriminatur specificè, & essentialiter non modò ab habitu, & dispositione, sed etiam à potentiâ, & impotentiâ, ut consideranti illarum naturas constabit. Quare passio non sumitur in præsenti pro receptione alicujus formæ, sive pro

pro actione, prout recepta in passo, vel in fieri, vel in facto esse, de qua modò præscindimus, hoc enim pacto spectat passio ad sextum prædicamentum, de quo infra.

381 Sumitur ergo hîc passio vel quatenus effectus est passionis, quæ spectat ad sextum prædicamentum, ut quando ex timore objecti, v. g. leonis, recepto in homine, resultat in ipso pallor, vel quatenus aliquo modo est causa alicujus passionis sensûs, ut color respectu visûs. In utrâque acceptione sumitur etiam passibilis Qualitas; cum hoc tantùm discrimine, quòd si Qualitas ista citò transeat, ut pallor, qui generatur ex timore, dicenda sit passio: si verò diu perseveret, ut pallor in corpore macilento, dicenda sit passibilis Qualitas. Ex quibus deducitur, passionem, & passibilem Qualitatem tantùm accidentaliter inter se differre, nempe secundùm brevem, & longam durationem.

382 Forma tandem, quæ ad hunc locum spectat, definiri potest: *Qualitas resultans ex terminatione quantitatis extensæ in rebus artificialibus.* Figura verò sic: *Qualitas resultans ex terminatione quantitatis extensæ in rebus naturalibus.* Utraque differt essentialiter ab habitu, & dispositione, à potentiâ, & impotentiâ, à passione, & passibili Qualitate, ut discurrenti patebit. Ex his diffinitionibus constat, formam hîc non sumi pro formâ substantiali, nec in illâ acceptione, in quâ omnia accidentia dicuntur formæ, quatenus subjectum informant, nec tandem pro dispositione partium in ordine ad locum, quæ est propria alterius prædicamenti, nempe sitûs.

383 Sumitur tantùm pro illa externa dispositione, quam habent partes quantitatis in ordine ad se, & secundùm quam subjecta dicuntur formo-

ſa, & deformia. In hac acceptione ſumitur etiam figura, quæ utique reſultat ex terminatione quantitatis extenſæ; cùm quantitas inextenſa non habeat figuram. Poteſt autem forma, ſicut & figura, eſſe circularis, quadrata, triangularis &c. eo pacto, quo quantitas fuerit terminata. Ex quibus deduces, formam, & figuram differre inter ſe materialiter tantùm, cùm vel differant ſecundùm reſpicientiam rerum naturalium, & artificialium, ut non pauci docent, vel ſint omnino ſynonymæ, ut volunt multi.

QUÆSTIO III.

Quot ſint Qualitatis proprietates?

384 RESOLUTIO: Proprietates Qualitatis à Philoſophis communiter enumeratæ ſunt tres. Prima: *Quod habeat contrarium*: ſic calor contrariatur frigiditati, albedo nigredini &c. Qualitates autem, quæ ex mixtione iſtarum reſultant, nullum habent contrarium ratione ſui, ſed tantùm ratione unius extremi contrariantur alteri: ſic tepidum, quod reſultat ex calido, & frigido, nulli extremo contrariatur ratione ſui. Idem dicendum de colore cæruleo, & ſimilibus, quæ ſolùm ratione unius extremi alteri contrariantur. Hæc proprietas non convenit omni Qualitati, ut patet in luce, & figurâ nullum contrarium habentibus: imò illam nec ſoli quantitati competere, docent multi; quia etiam calefactio, & frigefactio, calefieri, & frigefieri contrariantur, & tamen calefactio, & frigefactio ſpectant ad actionem, calefieri, & frigefieri ad paſſionem. Cæterùm hæc contrarietas ſolùm convenit actioni, & paſſioni ratione Qualitatum, nempe frigiditatis, & caloris, quo poſito, aſſerendum eſt, præſa-

præfatam proprietatem, nempe, *non habere contrarium*, estò non omni, soli tamen Qualitati competere.

385 Secunda Qualitatis proprietas est: *Quod suscipiat magis, & minus*, id est, quòd possit intendi, & remitti. Quomodò autem fiat intensio, quæstione sequenti dicemus. Hæc proprietas non convenit omni Qualitati, ut liquet in quarta ejusdem Qualitatis specie, nempe in formâ, & figurâ, quæ non suscipit magis, & minus: neque enim unus circulus est magis circulus, quàm alius, aut unum quadratum magis quadratum alio, & sic de aliis formis, & figuris; quippe consistunt in indivisibili. Sed quamvis hæc proprietas non conveniat omni Qualitati, nihilominus soli Qualitati convenit.

386 Tertia tandem Qualitatis proprietas est: *Quod reddat res similes, aut dissimiles*, similes, inquam, & dissimiles fundamentaliter; similitudo enim, & dissimilitudo, formaliter sumptæ, potiùs sunt relationes, quàm Qualitates: unde Qualitas ista est fundamentum relationis similitudinis, aut dissimilitudinis. Hæc proprietas maximè propria est Qualitatis; quia non modò convenit omni, sed soli. Sicut ergo unitas, & multitudo in substantiis faciunt idem, & diversum; in quantitate autem æquale, & inæquale; ita in Qualitate faciunt simile, & dissimile. Sunt enim similia, quorum Qualitas est una; dissimilia verò, quorum multiplex est Qualitas.

QUÆS-

QUÆSTIO IV.

Quomodo fiat intensio Qualitatis?

Baccon. 387 RESOLUTIO: Intensio Qualitatis fit per additionem gradûs ad gradum in eodem subjecto, id est, in eâdem parte ejusdem. Ita Doctor in 1. dist. 15. q. unicâ art. 4. §. 1. vers. *Ex his*, Zagaglia. quem sequuntur Mag. Zagaglia tom. 1. disp. 5 sect. Garcia. 5. §. ultimo. Mag. Garcia Physicæ parte 2. dist. 2. q. Bona spes 6. art. 3. §. 4. Mag. Bona spes Physicæ parte 3. disp. 8. dubio 1. n. 1. & omnes ejusdem Doctoris discipu- Scotus. li. Tenet resolutionem Scotus cum omnibus suis, Poncius. quos citat Poncius Physicæ disp. 24. q. 3. n. 21. in fine, & sequitur n. 34. Tenent etiam Nominales cum Okamus. Okamo, & Doctores Societatis cum Eximio, quos Suarius. novissimè citat, & sequitur P. Ludovicus de Lossada Lossada. parte 3. suæ Phylosophiæ tract. de Generatione, & Corruptione disp. 3. cap. 1. §. 3. n. 20. Ad resolutionis intelligentiam,

388 Prænoto primò, Qualitates naturaliter productas, & acquisitas ita produci, & acquiri in sui prima productione, & acquisitione, ut possint plus intendi, & augeri usque ad certos terminos à naturâ præfixos. Sic album fit magis album, calidum magis calidum, candidum magis candidum, &c. Dixi, *usque ad certos terminos*; quia Qualita- Baccon. tes supernæ sine fine intendi possunt, ut probat Doctor in 1. dist 46 q. unicâ art. 2. § 6. ubi sermonem instituit de Charitate.

389 Prænoto secundò, ex eodem Doctore *Quod aliud est extendi, & (aliud) intendi in qualitate, quod patet; quia frequenter extenditur, quando non intenditur, sicut quando spargitur nix, vel lux:*

lux: ergo extendi hîc est suscipere magis, & minus secundùm dilatationem formæ, & secundùm esse, & secundùm essentiam: ergo, proportionaliter, intendi, & remitti hîc est suscipere magis, & minus secundùm quandam vigorationem, seu perfectionationem ad intra. Ibid. dist. 14. q. unicâ art. 1.

390 Prænoto tertiò, intensionem, de quâ agimus, definiri posse sic: *Augmentum Qualitatis in eâdem parte subjecti*: Extensionem verò sic: *Augmentum Qualitatis in novis subjecti partibus continuis.* Hinc patet, intensionem Qualitatis habere se quodammodo sicut nutritio viventis, ut benè observat Mag. Garcia hîc n 965. & n. 1009. Etenim Garcia. sicut nutritio supponit substantiam viventis per generationem, ita intensio supponit Qualitatem per alterationem: item sicut nutritio non terminatur ad substantiam viventis secundùm se, sed ad quasdam partes substantiæ de novo acquisitas, ita intensio non terminatur ad Qualitatem secundùm se, sed ad gradus quosdam Qualitatis acquisitos de novo per successionem.

391 Prænoto quartò, totam Qualitatem per intensionem acquisitam esse eamdem Qualitatem, estò compositam ex diversis gradibus, ita quòd in fluxu, aut refluxu graduum perseveret semper eadem numero Qualitas, sicut perseverat eadem numero quantitas, sive idem numero individuum quantitativum in fluxu, & refluxu partium quantitatis. Unde sicut quantitas viventis in decursu vitæ augetur, aut minuitur, partes acquirendo, aut deperdendo, & nihilominus eadem numero quantitas perseverat; ita Qualitas in decursu intensionis, aut remissionis intenditur, aut remittitur, gradus acquirendo, aut deperdendo, &, hoc non obstante, semper est eadem numero Qualitas. Ad meliorem hu-

jus doctrinæ explicationem,

392 Prænoto quintò. Gradus super Qualitatem affluentes ex vi intensionis, & refluentes ex vi remissionis vocari à Doctore partes materiales Qualitatis. Ubi supra dist. 16. q. unica art. 4 vers. *De primo*, ibi: *Sciendum, quod isti gradus se habent respectu hujus formæ, scilicet respectu hujus albedinis, vel hujus caloris, sicut pars materialis ad individuum cujus est pars materialis: sicut enim hæc caro, & hoc os demonstratum, se habent ad hoc individuum hominis signatum, quòd, manente eodem individuo numero, partes istæ materiales fluunt, & refluunt; eodem modo hîc, manente eadem albedine in Sorte, potest variatio accipi circa albedinem istam secundùm partes materiales albedinis, manente eâdem albedine numero.* Vult Doctor quod gradus isti Qualitatis dicantur partes materiales ejusdem, *non quia sint partes alicujus materiæ intrinsecæ talis formæ, sed quia hujusmodi variatio graduum non consequitur formam secundùm esse ejus quidditativum expressum per definitionem, sed esse materiale in subjecto.* Ibidem vers. *Ad primum.*

393 Sensus est, quòd gradus isti de materiali se habeant ad rationem formalem Qualitatis, (putà ad albedinem, vel ad calorem) sicut partes materiales se habent ad individuum hominis v. g. ad Petrum; nam sicut Petrus puer, juvenis, & senex, semper est idem individuum numero, licèt fiat variatio circa ejus partes materiales, ita albedo, vel calor in Sorte semper est eadem numero, estò gradus albedinis, aut caloris fluant, vel refluant. Dicuntur ergo gradus isti partes materiales Qualitatis, quatenus eorum variatio non consequitur formam secundùm esse ejus quidditativum expressum per definitionem. Sic albedo, ut talis, solùm dicit esse accidens

cidens disgregativum visûs, & ideo de materiali se habet ad hoc individuum albedinis, quòd ista sit magis, aut minus intensa. Sed quoniam hæc videntur facere tantùm pro unitate specifica albedinis, non autem pro unitate numerica, idcirco

394 Prænoto sextò, quòd in individuis hominis v. g. potest unitas secundùm materiam dupliciter considerari, vel formaliter, vel materialiter. Unitas formalis est unitas secundùm partes materiales, sine quibus non potest individuum conservari. Unitas materialis est unitas secundùm partes, sine quibus stare potest conservatio individui, v. g. unitas hujus individui (putà Petri) non potest stare in juventute, & senectute sine partibus primigeniis; potest tamen stare sine maioritate, aut minoritate ipsarum partium, ex quo sequitur, quòd partes primigeniæ spectant ad unitatem formalem; ipsa verò maioritas, aut minoritas ad unitatem materialem; quia, ut conservetur idem individuum Petri, de materiali se habet, quòd ejus partes fiant maiores, aut minores. Sic proportionali modo de Qualitate discurrendum; ad hoc enim, ut conservetur idem individuum albedinis, satis est, quod conservetur idem accidens disgregativum visûs; quod autem sit magis, vel minus intensum de materiali se habet ad hoc individuum. Idem de calore, & aliis Qualitatibus dicendum, maximè advertendo, quòd hujusmodi gradus per intensionem additi non sunt priùs actu existentes, nec sunt per se, & directè Qualitates (hoc enim solùm important species, & individua) sed tantùm indirectè, & per reductionem ad Qualitatem, cujus sunt gradus. Ad plenam, & perfectam hujus doctrinæ explanationem Vide Mag. Zagagliam tom. 1. disp. 5. sect. 5. §. ultimo toto, & Zagaglia.
Mag. Garciam Physicæ parte 2. dist. 2. q. 4. art. 3. Garcia.

§. 3. num. 885. & 886. His itaque prænotatis,

Aristotel. 395 Probo resolutionem, & primò ex Philosopho l. 4. Physicorum cap. 9. textu 84. dicente: *Ex calido fit magis calidum, nulla prorsus ipsius parte tunc emergente calida, cùm calida minus erat.* Baccon. Unde Bacconius in 1. dist. 15. q. unica art. 4. §. 1. vers. *Ex his arguo*, ibi: *Commentator addens illam determinationem, quòd maior caliditas fit ex intensione ipsius caliditatis, intendit dicere, quòd forma intensa remanet in suo esse positivo, quod præhabuit, & quod recipiat in se ipsam maiorem caliditatem,* D.Thom. *quæ primò fuit in potentia materiæ.* Et D. Thomas sup. hunc Philosophi textum lectione 14. l. K. *Aliquid* (inquit) *fit magis calidum non propter hoc, quod aliqua pars materiæ fiat calida, quæ prius non erat calida, cùm esset minus calida, sed quia tota materia reducitur in actu magis, vel minus calidi.* Exquibus sic: Subjectum fit magis calidum non à calore præcisè; etenim à calore fit calidum, sed à maiore calore; sed non datur maior calor, nisi detur additio novi gradûs caloris, cùm sit omnibus notum, nullam rem fieri maiorem in tali, vel tali linea, nisi per additionem gradûs ad gradum in eâdem lineâ, ut liquet infinitis exemplis: ergo intensio Qualitatis fit per additionem gradus ad gradum in eodem subjecto, idest, in eâdem parte ejusdem.

396 Secundò sic: Quando Qualitas intenditur, redditur magis activa, quàm antea erat, ut experientiâ constat, maximè in calore; sed maior activitas non potest provenire, nisi ab aliquo, vel ab aliquibus gradibus novis, quibus Qualitas ipsa antea carebat: ergo idem, quod supra. Maior ex se claret. Probo minorem. Si id ex alio capite proveniret, vel à destructione Qualitatis imperfectioris, vel à maiori radicatione ejusdem Qualitatis in subjecto,

jecto, vel ex eo præcisè, quòd diminuatur Qualitas contraria; sed à nullo ex his capitibus potest maior activitas provenire, ut ex mox dicendis constabit: ergo non nisi ab aliquo, vel aliquibus gradibus novis, quibus Qualitas antea carebat.

397 Tertiò sic: Nostra sententia cohæret determinationi Concilii Tridentini: ergo tenenda est. Probo antecedens. Concilium Tridentinum sessione septima, Canone 7. docet: *Dari gratiam per Sacramenta semper, & omnibus ..... si ritè ea suscipiant*: exquo sequitur, quòd detur etiam homini justo; sed gratia data homini justo non destruit gratiam præcedentem; quia, ut docet Bacconius in 1. dist. 15. q unica art. 4. §. 1. arg. 2. *Quando forma noviter acquiritur in aliquo, & non per generationem, tunc forma præcedens non perdit suum esse, quia nunquam est corruptum esse unius, nisi cum generatione alterius*: ergo gratia data homini justo addit gradum ad gradum. Igitur sic fit intensio Qualitatis. Idem probat Mag. Garcia ex illo Apocal. cap. 22. vers. 11. *Qui in sordibus est, sordescat adhuc: et qui justus est, justificetur adhuc, & sanctus sanctificetur adhuc.* Et sanè ex istis verbis juxta expositiones optimum conficitur argumentum ad nostram sententiam confirmandam.

Trident. Baccon. Garcia.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

398 NOstræ resolutioni opponuntur Gilbertus Porret. Avicenas, Godofredus, & Durandus apud nostros Complutenses disp. 4. de Alteratione q. 7. §. 1. vers. *Secunda*, quatenus asserunt, intensionem Qualitatis fieri per destructionem Qualitatis imperfectioris, & adventum alterius perfectioris. Opponuntur etiam Thomistæ, signanter Caieta-

Gilbertus. Avicenas. Godofredus. Durand. Complut.

Caietanus Capreol. Soncinas. Suarius. Caietanus, Capreolus, Soncinas, & alii apud Suarium Magnum, Metaph. parte 2. disp. 46. sectione 1. n. 3. dicentes, intensionem Qualitatis, juxta veram Aristotelis, & D. Angelici mentem, fieri absque productione novæ partis, aut gradûs ejusdem, aut diversæ rationis à priori, sed per solam maiorem radicationem in subjecto: quam sententiam amplectuntur nostri Complutenses, ubi supra, q. 9. § 3. Cæterùm hæc sententia, tametsi communis sit inter Thomistas, cum variatione in modo explicandi defenditur; infra tamen ostendemus, quòd nullo pacto sustineri possit. Opponuntur tandem alii cum Ægidio quodlib. 2. q. 14. defendentes, Qualitatem intendi per hoc præcisè, quòd diminuatur Qualitas contraria, absque variatione Qualitatis, quæ intenditur. Pro his omnibus, & imprimis pro AA. primæ sententiæ

Complut.

Ægidius.

399 Objicies primò. Terminus *à quo*, & *ad quem*, cujusvis motûs ita inter se opponuntur, ut acquisito termino *ad quem*, non maneat terminus *à quo*; sed in motu intensionis Qualitas remissa est terminus *à quo*, & intensa est terminus *ad quem*: ergo, hâc acquisitâ, non manet altera; ac per consequens intensio Qualitatis fit per destructionem Qualitatis imperfectioris, & adventum alterius perfectioris. Probas maiorem, in quâ tantûm est difficultas, & primò sic: In motu locali, acquisitâ unâ præsentiâ, non perseverat altera: ergo. Secundò sic: Cum arcus intenditur, acquisitâ novâ ubicatione, prior amittitur: ergo. Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, & minore, distinguendo consequens: non manet altera formaliter sumpta, & reduplicativè ut remissa, concedo consequentiam: non manet altera materialiter sumpta, sive sumpta specificativè, & secundùm suum esse positivum, nego consequentiam, & consequens.

400 Undè

400 Unde ſicut in augmentatione, & in nutritione viventis non deſtruitur quantitas præcedens, niſi ſumpta reduplicativè, ut minor, ſive ſecundùm minoritatem, ſic in propoſito dicendum. Ad primam probationem maioris, concedo antecedens; quia præſentiæ locales ſunt affixæ loco immobili, ex quo ſunt incompoſſibiles. Qualitas autem remiſſa ſolùm ut remiſſa eſt incompoſſibilis cum Qualitate intenſa, quia ita ſumpta eſt commiſta ex privativo, & poſitivo; eſt enim Qualitas privata intenſione. Secus ſi ſumatur tantùm ſecundùm ſuum eſſe poſitivum, & ſpecificativum, nam ita accepta eſt eadem numero Qualitas. Audiendus eſt Bacconius in 1. diſt. 15. in fine verſ. *Vel aliter*, ibi: *Nunc autem promiſſum eſt, quod ea, quæ ſunt contraria in motu unum corrumpitur in adventu alterius, ſive contraria poſitiva, ſive privativa, & ideo concedendum eſt illud argumentum, quod ſicut in locali motu unum ibi corrumpitur in adventu alterius, ita in augmentatione, & alteratione, illud quod eſt in termino à quo commiſtum de contrario poſitivo, vel privativo corrumpitur in termino ad quem, non tamen eſt verum, quod in intenſione, aut remiſſione, aut augmentatione, aut diminutione alicujus formæ, illud, quod præceſſit de eâdem formâ, & fuit ſimile gradui ejuſdem formæ corrumpitur in adventu illius gradûs.* Ad ſecundam probationem ejuſdem maioris dico, quòd intenſio arcus non eſt propriè intenſio, ſed, ut bene Loſſada hic n. 7. eſt tenſio conſiſtens in quâdam variatione extenſionis, quæ cogit partes mutare locum, & ubicationem. Baccon. Loſſada.

401 Objicies ſecundò pro eâdem ſententiâ. Actio nova, & totaliter diſtincta à præexiſtenti debet habere terminum novum, & totaliter diſtinctum; ſed intenſio eſt actio nova, & totaliter diſtincta à

primâ

primâ Qualitatis productione: ergo opus est, quòd habeat terminum novum, & totaliter distinctum, ac per consequens ejus terminus debet esse nova Qualitas per se distincta totaliter à prima, quæ debet destrui per adventum alterius. Respondeo ad objectionem concedendo totum, usque ad consequens exclusivè. Quia aliud est, quòd intensio habeat terminum novum, & distinctum totaliter à termino primæ productionis Qualitatis; aliud verò, quòd talis terminus sit Qualitas per se, & novum individuum Qualitatis totaliter distinctæ à primâ Qualitate præcedente, & quòd hæc destruatur per adventum alicujus Qualitatis novæ. Verum est, quòd terminus intensionis sit novus, & totaliter distinctus à termino præcedente, quia talis terminus est novus gradus Qualitatis, qui quatenus gradus est novus, ut talis distinguitur totaliter, & realiter à præcedente Qualitate, non propriè, quia distinctio propriè numerica, qualis esset hæc, est distinctio individuorum, sed impropriè, quatenus talis gradus potest signari, & distingui contra alium, ut infra dicemus. Unde talis terminus non debet dici Qualitas per se distincta à primà Qualitate præcedente tamquam novum individuum, neque enim actio terminatur ad Qualitatem novam per se, sed ad Qualitatem novam per reductionem, id est, ad gradum, quippe terminatur ad maiorem intensionem ejusdem Qualitatis per se. Vide infra n. 415 Ex quo rectè

402 Colliges, quòd Qualitas præcedens non destruitur per adventum Qualitatis partialis, sive gradûs novi, aliàs sequerentur tria inconvenientia contra Philosophum, ut inquit Doctor in 1. dist. 16. q. unicâ art. 1. §. 2 vers. *Item si sic*, ibi: *Primò quòd nullus habitus est auctus per actus sequentes; nam per te actus sequens, exquo mutat gradum, mutat*

Baccon.

mutat individuum, & per consequens corrumpit habitum præcedentem, non ergo ipsum augmentat. Secundò sequitur, quòd habitus sit de facili mobilis: per unum enim actum elicitum generatur unus gradus, si per generationem unius gradûs ponitur corrumpi illud individuum habitus, quod præcessit; & unus gradus de facili generatur: ergo. Tertiò sequitur, quòd quilibet habitus demonstrativus acquiritur per unum actum tantùm: per unum actum enim acquiritur unus gradus, & quilibet gradus est unum individuum habitus: ergo semper per unum actum acquiritur unus habitus, & per alium alius, & sic de infinitis, quæ omnia sunt contra intentionem Philosophi 2. Ethic. cap. 1. Multis aliis argumentis, & quidem subtilissimis, impugnat Doctor hanc sententiam, quæ omnia eodem loco citato per otium videri possunt.

403 Objicies tertiò pro AA. secundæ sententiæ. Aristoteles l. 4. Physic. cap. 9. inquit: *Ex calido fit magis calidum nullâ prorsus ipsius parte tunc emergente calidâ*: ergo juxta Aristotelem intensio Qualitatis fit absque productione novæ partis, aut gradûs ejusdem, aut diversæ rationis à priori, sed per solam maiorem radicationem in subjecto. Confirmabis ex Doctore Angelico 22. q 24. art. 4. ad 3. dicente: *Nihil est aliud ipsam* (idest formam) *secundùm essentiam augeri, quàm eam magis inesse in subjecto, quod est magis eam radicari in subjecto.* Aristot. D.Thom.

404 Respondeo ad objectionem explicando Authoritatem Philosophi: *Ex calido fit magis calidum nullâ prorsus ipsius parte tunc emergente calidâ*, id est, perseverante eodem numero calore, in intensione ejusdem; exquo non sequitur, quòd non fiat magis calidum per additionem gradûs. Unde ex hoc textu potius probatur, quàm improbatur

nostra resolutio, ut constat ex n. 395. Potest etiam sic exponi testimonium adductum: quod nulla pars materiæ fiat magis calida, quæ antea non fuerit calida; sic enim pergit Authoritas: *Nullâ prorsus ipsius parte tunc emergente calidâ, quæ non erat antea calida, cùm calida minus esset.* Ex quo etiam non infertur, quòd pars jam calida non fiat magis calida per additionem novi caloris realiter distincti, qui estò non sit novum caloris individuum, est tamen novus, & distinctus gradus. Ad illud D. Angelici dico, S. Doctorem intelligendum de inhærentiâ, & radicatione, quæ resultat ex additione graduum, & maior est, quò plures partes formæ eidem subjecto unit. Vide Lossadam tract. de Generat. & Corrupt. cap. 1. §. 3. n. 26. 27. & 28. ubi egregiè exponit locutiones D. Thomæ pro nostrâ potiùs sententiâ, quàm pro illa Thomistarum.

Lossada.

405 Objicies quartò pro eâdem sententiâ. Si intensio Qualitatis non consisteret in maiori radicatione ejusdem in subjecto, Qualitas materialis extra subjectum posset intendi; sed non potest: ergo signum est, quòd intensio Qualitatis consistit in maiori radicatione ejusdem in subjecto. Probas maiorem. Qualitas materialis extra subjectum haberet omnes suas partes: ergo si non consisteret in maiori radicatione ejusdem in subjecto, posset extra subjectum intendi. Probas etiam minorem. Estò subjectum dicatur magis, aut minus album, una albedo tamen non potest dici magis, aut minus albedo, quàm alia: ergo Qualitas materialis extra subjectum non potest intendi. Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, negando minorem. Ad probationem distinguo antecedens: una albedo non potest dici magis, aut minus albedo, quàm alia, secundùm rationem essentialem albedinis, concedo antecedens: secun-

ſecundùm gradus materiales, nego antecedens. Unde ſi Qualitas materialis poneretur Divinitùs extra ſubjectum, Divinitùs etiam poſſet intendi. Sicut & linea extendi poſſet, ſi extra quantitatem Divinitùs poneretur. Ex quibus retorquetur objectio in Adverſarios; Nam ſi intendi poteſt Qualitas extra ſubjectum, evidenter colligitur, quòd intenſio Qualitatis non ſit per maiorem radicationem in ſubjecto.

406 Deinde iſta maior radicatio Qualitatis in ſubjecto nullo pacto defendi, aut ſuſtineri poteſt. Nam ſi ipſa in novâ Qualitatis exiſtentiâ conſiſtit, ut tenet Aſtudillo 1. de Generatione q. 9. ſic Aſtudillo. impugnatur: Illa maior activitas ad agendum, quæ reperitur in Qualitate intenſâ, debet provenire ab aliquo habente rationem formalem agendi; ſed exiſtentia, eſtò ſit conditio ad agendum, non eſt ratio formalis agendi: ergo radicatio illa maior, per quam in hâc ſententiâ intenditur Qualitas, non poteſt conſiſtere in novâ Qualitatis exiſtentiâ. Si autem talis radicatio maior conſiſtit in additione novi modi, qui licèt non præbeat Qualitati novam vim informativam, reducit tamen ipſam ad maiorem unitatem, ut docet Joanes à Sancto Thomâ, ſic impugnatur: Unum per accidens non poteſt eſſe magis unum, quàm eſt unum per accidens; ſed Qualitas, ſit remiſſa, vel intenſa, ſemper cum ſubjecto facit unum per accidens: ergo quando intenditur non poteſt facere magis unum cum ſubjecto, nec reduci ad maiorem unitatem. Si verò conſiſtat in modo aliquo actualitatis maioris ſuperaddito eſſentiæ, exiſtentiæ, & unioni ejus ad ſubjectum, utî dicunt noſtri Complutenſes diſp. 4. de Alteratione q. 9. § 3. ſic impugnatur: Albedo extra ſubjectum eſt capax intenſionis, ut dictum eſt ſupra: ergo illa maior radicatio Qualitatis non poteſt conſiſtere in modo ali-

Joannes à S. Thom.

Complut.

quo actualitatis maioris supperaddito essentiæ, existentiæ, & unioni ejus ad subjectum.

407 Dices cum aliis Thomistis, talem radicationem maiorem consistere in productione strictioris unionis cum subjecto. Verùm argumentor eodem argumento supra tacto, communi, sed efficaci, in hunc modum: Accidentia in Eucharistia habent intensionem; aliquando enim ibi magis intenduntur albedo, & calor; sed ibi non datur perfectior unio ad subjectum; siquidem talia accidentia sunt sine subjecto; & licèt habeant quantitatem, nihil vetat, quòd Deus sine quantitate accidentia conservaret: ergo. Mitto alios modos dicendi Thomistarum, sicut & alias multas impugnationes videndas, si lubet, apud Suarium, Poncium, Lossadam, & Mag. Garciam, suis locis supra citatis.

Suarius. Poncius. Lossada. Garcia.

408 Objicies quintò pro AA. tertiæ sententiæ. Aristoteles l. 5. Phys. cap. 2. ad finem docet, maiorem. & minorem intensionem, & remissionem fieri per maiorem, & minorem contrarii admistionem ibi: *Est autem ex eo magis minusve tale, quia plus, aut minus inest contrarii, & non inest*: ergo intensio Qualitatis fit per hoc præcisè, quòd diminuatur Qualitas contraria, absque variatione Qualitatis, quæ intenditur. Respondeo ad objectionem distinguendo antecedens: docet Aristoteles maiorem, & minorem intensionem, & remissionem fieri per maiorem, & minorem contrarii admistionem, præcisè, nego antecedens: consecutivè, subdistinguo: in Qualitatibus habentibus contrarium, quod non expellitur per primam productionem ipsarum, concedo antecedens: in Qualitatibus non habentibus contrarium, vel habentibus contrarium, quod per primam earum productionem expellitur, nego antecedens, & consequentiam.

Aristotel.

409 Non

409 Non negamus, quòd in Qualitatibus habentibus contrarium detur remotio ipsius contrarii, quando tales Qualitates intenduntur; quia cùm in Qualitatibus habentibus contrarium, quatenus non habent adhuc esse summè intensum, perseveret admistio contrarii, ita quòd, si calor est intensus ut sex, habeat admistos duos frigiditatis gradus, opus est, quòd, quando calor ille intenditur ut octo, corrumpantur illi duo gradus frigiditatis, & in hoc sensu docet Bacconius, quòd in intensione Qualitatis habentis contrarium, aliquid positivum de essentia gradûs remissi corrumpatur: *Verum est, quod minus calidum corrumpitur in adventu maioris, secundùm quod est contrarium.* In 1. dist. 15. q. 1. art. 4. §. 3. in principio. Negamus tamen, quod intensio Qualitatis absolutè consistat præcisè in diminutione Qualitatis contrariæ, absque additione gradûs ad gradum Qualitatis intensæ; maximè cùm dentur Qualitates, quæ, estò careant contrario, intenduntur, ut lux, sonus, &c. Et multæ etiam, quæ tametsi contrarium habeant, ipsum, cùm primùm existunt; expellunt, atqueadeo, cùm postea intendantur, jam non habent contrarium, quod expellatur, ut patet in Fide, Charitate, & Gratiâ; Fides enim solùm habet infidelitatem pro contrario, & hæc certè expellitur per ipsam Fidem quantumvis minimam. Charitati etiam, & Gratiæ solùm peccatum est contrarium, quod utique per minimam Charitatem, sive Gratiam abjicitur, & nihilominus tam Fides, quàm Charitas, & Gratia possunt deinde intendi. Certum igitur est, intensionem Qualitatis non fieri per hoc præcisè, quòd diminuatur Qualitas contraria, absque variatione Qualitatis, quæ intenditur. Baccon.

410 Objicies sextò, & directè contra resolutionem. Si intensio Qualitatis fieret per additionem

nem gradûs ad gradum, ſubjectum habens albedinem ſub quatuor gradibus eſſet magis album, quàm ſi albedinem haberet tantùm ſub duobus gradibus; ſed ſubjectum habens albedinem ſub quatuor gradibus non poteſt eſſe magis album, quàm ſi albedinem haberet tantùm ſub duobus gradibus: ergo intenſio Qualitatis non fit per additionem gradûs ad gradum. Maior liquet. Probas minorem. Subjectum manens æqualiter album non poteſt eſſe magis album; ſed ſubjectum habens albedinem ſub quatuor gradibus manet æqualiter album, ac habens albedinem ſub duobus gradibus: ergo ſubjectum habens albedinem ſub quatuor gradibus non poteſt eſſe magis album, quàm ſi albedinem haberet tantùm ſub duobus gradibus. Maior liquet. Probas minorem. Subjectum habens albedinem ſub quatuor gradibus, habet eandem numero albedinem, ac habet, habens albedinem ſub duobus gradibus; ſed manente eâdem numero albedine in ſubjecto aliquo, manet ſubjectum æqualiter album: ergo ſubjectum habens albedinem ſub quatuor gradibus, manet æqualiter album, ac habens albedinem ſub duobus gradibus. Conſequentia ſequitur. Minor videtur evidens. Maior autem, quam multi negant, eſt certa in viâ Doctoris aſſerentis, intenſionem Qualitatis non terminari ad differentes numero Qualitates. In 1. diſt. 16. q. unica art. 1. §. 2. ubi hanc doctrinam ſex evidentibus probationibus oſtendit.

Baccon.

411 Reſpondeo ad objectionem apparenter difficilem, ſtando pro doctrina Bacconii, conceſſâ maiore, negando minorem. Ad probationem, conceſſâ etiam maiore, nego minorem. Ad probationem concedo ſimiliter maiorem, & nego minorem, nempe quòd, manente eâdem numero albedine in ſubjecto aliquo, maneat ſubjectum æqualiter album;

album ; quæ quidem minor , licèt appareat vera , re ipsâ est falsa (cave ne illam concedas) & ut talis negatur à Resoluto in 1. dist. 16. q unica, art. 4.vers. Baccon. *Ad illud*, ibi : *Et cum accipitur ulterius : manente eâdem densitate numero in subjecto, manet subjectum æqualiter densum*, nego hanc propositionem; *sicut negarem hanc: Manente eâdem albedine in subjecto, manet subjectum æqualiter album.*

412 Igitur verum est , quòd subjectum semper habeat eamdem numero albedinem , vel illam habeat sub duobus gradibus tantùm, vel sub pluribus gradibus ; quia quemadmodum semper perseverat idem numero individuum quantitativum in fluxu , & refluxu partium quantitatis , ita perseverat eadem numero Qualitas in fluxu , & refluxu graduum ipsius ; sic intelligo Aristotelem 4. Phys. cap. Aristotel. 9.dicentem : *Ex calido fit magis calidum nullâ prorsus ipsius parte tunc emergente calida , quæ non erat antea calida , cùm calida minus erat.* Hoc tamen non obstante, adhuc salvatur , quòd subjectum habens albedinem sub quatuor gradibus sit magis album , quàm illam habens sub duobus gradibus , quia estò maneat æqualiter album quoad eandem numero albedinem , non manet æqualiter album quoad rationem albedinis secundùm gradus , & hoc sufficit , ut absolutè dicatur magis album.

413 Instabis. Subjectum non potest fieri magis album per additionem eorum , quæ non sunt Qualitates ; sed gradus albedinis non sunt Qualitates : ergo subjectum habens albedinem sub quatuor gradibus non fit magis album , quàm illam habens sub duobus gradibus. Maior est manifesta ; quia si id , quod additur , non est Qualitas albedinis , quomòdo potest reddere subjectum magis album ? Probas minorem. Si gradus albedinis essent Qualitates, tot

tot essent Qualitates albedinis numero distinctæ, quot sunt gradus; sed Qualitas albedinis semper est eadem numero, ut dictum est supra: ergo gradus albedinis non sunt Qualitates.

414 Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem: subjectum non potest fieri magis album per additionem eorum, quæ non sunt Qualitates, id est, per additionem eorum, quæ non sunt per se individua Qualitatis, nec reducuntur ad individuum per se Qualitatis, concedo maiorem: per additionem eorum, quæ non sunt Qualitates, id est, quæ non sunt per se individua Qualitatis, sed reducuntur ad individuum per se Qualitatis, nego maiorem. Deinde distinguo minorem: gradus albedinis non sunt Qualitates, id est, individua per se Qualitatis, concedo minorem: id est, non reducuntur ad individuum per se Qualitatis, nego minorem. Ad probationem minoris, nego maiorem, quæ solùm esset vera, si gradus albedinis essent Qualitates per se; constat autem ex dictis esse Qualitates tantùm per reductionem ad unum individuum per se Qualitatis albedinis, quod sufficit, ut subjectum per additionem graduum albedinis fiat magis album, maximè cùm gradus isti sint partes albedinis, sive albedines partiales, & inadæquatæ, ut ita dicam, quatenus reducuntur ad individuum Qualitatis tanquam partes affluentes, & refluentes.

415 Replicabis. Subjectum non potest mutari à pallido in album per solam additionem gradûs albedinis, sed opus est, quòd additum sit per se individuum albedinis: ergo neque potest de albo fieri magis album per solam additionem gradûs albedinis, nisi addatur individuum albedinis, sive nova albedo. Respondeo ad replicam concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est cla-

clara : quia ſubjectum pallidum nullam in ſe habet albedinem exiſtentem, idcirco, quando mutatur de pallido in album, neceſſe eſt, quòd detur motus ad individuum albedinis novum. At verò quando ſubjectum de albo fit magis album, jam in ſe habet albedinem exiſtentem, & ideo non mutatur ad individuum albedinis, cùm hoc jam in ſe habeat, ſed movetur tantùm ad novum albedinis gradum. Solutio eſt Reſoluti in 1. diſt. 16. q. unica art 4. verſ. *Ad rationes*, in fine : *Sed eſt notandum, quòd quando mutatur à nigro, vel à pallido ad albedinem, tunc per ſe iſte motus eſt ad albedinem, quia per ſe terminatur ad individuum albedinis novum : ſed quando fit motus ab albo ſecundùm unum gradum ad idem ſub alio per ſe non mutatur ſubjectum ad albedinem, nihil enim movetur ad illud, quod jam habet, ſed movetur per ſe ad novum gradum albedinis.* Baccon.

416 Objicies ſeptimò. Quod conſiſtit in indiviſibili non poteſt intendi per additionem ; ſed eſſentia Qualitatis (ſicut & rerum omnium) conſiſtit in indiviſibili : ergo non poteſt intendi per additionem gradûs ad gradum. Reſpondeo ad objectionem, conceſſâ maiore, diſtinguendo minorem: eſſentia Qualitatis metaphyſica conſiſtit in indiviſibili, concedo minorem : eſſentia phyſica, ſive quoad integritatem phyſicam, nego minorem, & conſequentiam. Solùm eſſentia metaphyſica Qualitatis (ſicut & aliarum rerum) ſtat in indiviſibili, id eſt, eſſentia ſumpta quoad prædicata eſſentialia expreſſa per definitionem : ſic albedo, calor &c. numquam magis, vel minus verificant nomen, & definitionem albedinis, & caloris ut ſic, eſtò ſint ſub pluribus, paucioribusvè gradibus : Cæterùm eſſentia phyſica, ſive quoad integritatem phyſicam, aliter ſe habet, hæc enim poteſt integrari ex pluribus,

vel paucioribus partibus, ut patet in arbore tenera, & procera. Sic in proposito essentia caloris, albedinis &c. potest integrari ex pluribus, vel ex paucioribus gradibus absque aliquo inconvenienti.

417 Instabis. Omnis forma accidentalis est actus purus excludens compositionem integralem; sed Qualitas est forma accidentalis: ergo non potest integrari ex diversis gradibus. Respondeo ad instantiam negando maiorem, & concessâ minore, nego consequentiam. Quia quantitas extensa est forma accidentalis, & tamen non excludit compositicnem integralem. Quod etiam verificatur de Qualitate intensa, ex quo etiam, cùm intenditur, non est cur non sit integraliter composita ex gradibus per quorum additionem intenditur

418 Replicabis. Saltem intensio gratiæ debet talem compositionem excludere: ergo saltem hæc Qualitas intensa non est integraliter composita ex gradibus. Probas antecedens. Gratia est participatio Divinæ naturæ: ergo debet excludere talem compositionem, illius simplicitatem imitando. Respondeo ad replicam negando antecedens. Ad probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Quia quanvis gratia sit Divinæ naturæ participatio, quatenus sanctificat, & radicat supernaturales operationes intelligendi, & amandi, præstando jus ad gloriam &c. non ita tamen est participatio naturæ Divinæ, quòd imitetur naturam Divinam in simplicitate, sicut illam non imitatur in reliquis perfectionibus infinitis. Neque ex hoc sequitur, quòd gratia remissa sit perfectior quàm intensa, ut benè

Lossada. observat P. Lossada n. 33. ubi supra; nam estò res simplicior sit perfectior, cæteris paribus, non tamen absolutè est perfectior, alioquin partes essent perfectiores toto, cùm sint ipso simpliciores. Unde gratia

tia remissa (& idem de cæteris Qualitatibus dicendum) solùm est perfectior intensâ, si posset esse tantæ virtutis ac intensa, quod est impossibile, & ideo intensa semper est perfectior remissâ, licèt non sit simplicior illâ.

419 Objicies octavò. Ex additione gradûs ad gradum in eâdem parte subjecti sequitur, quòd duo, vel plura accidentia numero tantùm distincta possint esse in eâdem parte subjecti; sed non possunt, cùm individuentur à subjecto: ergo neque intensio Qualitatis potest fieri per additionem gradûs ad gradum in eâdem parte subjecti. Probas maiorem. Gradus isti sunt accidentia; sed solo numero sunt distincti; non enim sunt heterogenei, sed homogenei in sententia Bacconii: ergo ex additione gradûs ad gradum in eâdem parte subjecti, sequitur, quòd duo, vel plura accidentia numero tantùm distincta possint esse in eâdem parte subjecti.

420 Respondeo ad objectionem distinguendo maiorem: sequitur, quòd duo, vel plura accidentia numero tantùm distincta possint esse in eâdem parte subjecti, si sint distincta numero impropriè, concedo maiorem: si sint distincta numero propriè, nego maiorem. Deinde, applicatâ distinctione minori, nego consequentiam. Igitur gradus Qualitatis, tametsi sint numero tantùm distincti, non sunt ita propriè distincti numero, sicut distinguuntur individua sub specie; quia, ut supra dictum est, tales gradus non sunt plura individua Qualitatis, nec Qualitates, nisi per reductionem ad individuum Qualitatis. Sunt igitur tantùm numero distincti impropriè, quatenus possunt signari; cùm omnis forma aucta designari optimè possit designatione graduum. Sic in albedinis intensione designatur album, albius, & albissimum: similiter in intensione

sione caloris designatur tepidum, calidum, calidius, & calidissimum. Attentâ igitur istà designatione graduum, distinguuntur quodammodò numero; ast non ita propriè, quòd sint individua per se existentia, ad quæ, propriè loquendo, attinet diversitas numeralis, ut inquit Doctor ubi supra art. 4. in fine: *Ad aliud dico, quòd differunt numero, non tamen propriè, quia diversitas numeralis propriè est diversitas singularium, seu individuorum sub specie: & verum est (ut arguitur) quòd plura accidentia solo numero differentia isto modo simul esse non possunt in eodem susceptivo: sed duo gradus sunt simul in eodem individuo, & quodammodò numero differunt, quia unus gradus potest signari, & distingui contra alium, puta pedalis contra bipedalem, omnis autem signatio est quædam numeratio.*

421 Instabis. Duo, vel plura accidentia solo numero differentia, & ita propriè distincta, non possunt esse in eodem subjecto totali: ergo neque duo, vel plura accidentia solo numero differentia, estò ita impropriè distincta, possunt esse in eodem subjecto partiali; ac per consequens in eâdem parte subjecti non possunt esse duo, vel plures gradus Qualitatis, putà albedinis, vel caloris. Respondeo ad instantiam concedendo totum usque ad consequens exclusivè. Quia, ut benè advertit Mag. Garcia hic n. 1000. in fine, pars subjecti solùm dicitur subjectum partiale respectivè ad totum, quod componit cum aliis compartibus, non autem respectivè ad gradus intensionis, quos in se suscipere potest; respectivè enim ad gradus istos habet se ut subjectum totale, sicut se habet materia respectivè ad formas, quas potest recipere. Unde stat bene, quòd duo accidentia distincta tantùm numero impropriè, non possint esse in eodem subjecto partiali, & nihilominus

Garcia.

nus possint esse in eâdem parte subjecti, utî sunt gradus albedinis, caloris &c. per intensionem.

422 Objicies nonò Qualitas caloris partialis gradûs supervenientis primo gradui est æquè perfecta ac est Qualitas sub primo gradu existens: ergo non potest intendere ipsam Qualitatem præexistentem. Antecedens patet ex eo, quòd gradus isti sint homogenii in sententiâ Bacconii. Probas consequentiam. Quod est æquè perfectum ac aliud non potest ipsum reddere perfectius: ergo neque intendere. Respondeo ad objectionem, concesso antecedente, negando consequentiam. Ad probationem distinguo antecedens: non potest ipsum reddere perfectius essentialiter, concedo antecedens: integraliter, nego antecedens, & consequentiam. Tametsi gradus caloris additus alteri gradui sit æque perfectus ac ille alter, semper perficit calorem integraliter, & gradualiter; facit quippe quòd calor, qui erat sub uno gradu tantùm v. g. maneat sub duobus, & intendatur per gradum additum.

423 Instabis. Gradus additus non potest, nec integraliter, perficere calorem, qui erat sub alio gradu, nisi talis gradus de novo additus habeat rationem actûs; & gradus præcedens rationem potentiæ; sed hoc non; quia non est maior ratio, cur unus, & non alius importet rationem potentiæ, vel actûs: ergo gradus additus non potest, nec integraliter aut gradualiter, perficere calorem, qui erat sub alio gradu. Respondeo ad instantiam negando maiorem, & concessâ minore, nego consequentiam. Quia gradus de novo additus non perficit gradualiter calorem, qui erat sub alio gradu, quatenus iste se habet ut potentia ad gradum additum, neque per modum continuationis in communi termino indivisibili, sed per attractionem gradûs additi ad gradum præcedentem,

tem, tamquam per partes materiales ejusdem caloris fluentes, & refluentes, quæ omnes recipiuntur in eodem subjecto, sive in eadem parte ipsius, quod propterea dicitur magis, & magis calidum, salvâ semper essentiâ, quæ per definitionem caloris explicatur, ut supra dicebam. Vide Mag. Zagaglia supra, n. suo 40. ad finem.

Zagaglia.

424 Objicies decimò. Quòd subjectum magis actuetur non fit per additionem potentiæ actuabilis ad potentiam actuabilem: ergo quòd Qualitas magis intendatur, non fit per additionem gradus ad gradum. Respondeo ad objectionem, concesso antecedente, negando consequentiam. Disparitas est: quia ut subjectum magis actuetur, sufficit, & est necesse, quòd addatur forma actuans ad formam actuantem præexistentem, neque opus est, quòd addatur potentia actuabilis ad potentiam actuabilem. Ast Qualitas non habet per quod intendatur, nisi per additionem gradûs ad gradum, ut liquet ex argumentis in adversarios.

425 Instabis. Ut subjectum magis actuetur non est necesse, quòd addatur forma actuans ad formam actuantem præexistentem: ergo nulla solutio. Probas antecedens. Eadem forma potest magis actuare: ergo ut subjectum magis actuetur non est necesse, quòd addatur forma actuans ad formam actuantem præexistentem. Probas antecedens. Idcirco eadem forma non posset magis actuare, quia est tota actuans; sed quamvis sit tota actuans, potest magis actuare: ergo eadem forma potest magis actuare. Maior liquet. Probas minorem. Idem subjectum potest actuari magis, tametsi totum sit actuatum: ergo eadem forma potest magis actuare, quamvis sit tota actuans.

426 Respondeo ad instantiam negando ante-

antecedens. Ad probationem distinguo antecedens: eadem forma potest magis actuare diversam subjecti partem, concedo antecedens, eamdem partem subjecti, vel idem subjectum invariatum, quod actuat, nego antecedens. Ad probationem, concessâ maiore, nego minorem in sensu distinctionis. Ad probationem distinguo antecedens: idem subjectum potest actuari magis, &c. à nova forma, vel à nova formæ parte, concedo antecedens: ab eâdem forma invariata, & sine additione alicujus gradûs, vel partis ipsius, nego antecedens. Igitur, ut firmiter sustineamus resolutionem, & huic objectioni satisfaciamus, contenti sumus, quòd neque detur *magis actuari*, neque *magis actuare*, quin detur nova forma, vel nova pars formæ, ut rectè observat Lossada Lossada. circa præsentem difficultatem, ubi supra n. 36. Si igitur supponitur crescere subjectum, satis est, quòd forma crescat. Sic in proposito de Qualitate, quæ nisi crescat per additionem gradûs ad gradum, non potest magis, & magis intendi.

427 Objicies undecimò. Maior velocitas est veluti intensio motûs, quo idem percurritur spatium; sed hæc non fit per additionem partis ad partem motûs: ergo neque intensio Qualitatis per additionem gradûs ad gradum. Respondeo ad objectionem, concessâ maiore, & minore, negando consequentiam. Ratio discriminis est; quia maior velocitas potest dari ex eo, quòd mobile in tempore æquali plures partes spatii percurrat, quàm mobile tardum, ut inquit Commentator 6. Physicorum cap. Averroes. 11. *Velocius esse quod in parvo tempore multum spatii percurrit.* Cæterùm Qualitas absque additione gradûs ad gradum nihil haberet per quod intenderetur, ut ex supradictis constat.

428 Objicies duodecimò. Extensio quantitatis

tatis potest fieri absque additione novæ quantitatis partialis: ergo etiam intensio Qualitatis absque additione novæ Qualitatis partialis, sive absque additione gradûs ad gradum ejusdem. Probas antecedens. Quando quantitas rarefit, extenditur; sed non per additionem novæ quantitatis: ergo extensio quantitatis potest fieri absque additione novæ quantitatis partialis. Respondeo ad objectionem (omissis aliis solutionibus) negando antecedens. Ad probationem, concessâ maiore, nego minorem; quia rarefactio, in probabili opinione Bacconistarum, fit per eductionem novæ partialis quantitatis ex priori

Baccon. materiâ. Ita ex Bacconio, & Blasco docet Mag. Gar-
Blasco. cia, Physicæ parte 2. dist. 2. q. 5. art. 2. n. 920. Ex
Garcia. qua doctrina retorqueri potest argumentum. Si cu-
Suarius. pis alias solutiones vide Suarium Lusitanum Metaph tract. 4. disp. 2. sectione 2. §. 2. n. 34. Mag. Gar-
Aug. Laur. ciam in hac quæstione n 998. Aug. Laurentium Me-
Lossada. taph. tract. 4 disp 1. sectione 3. n. 75. & 76. Lossada Metaph. disp. 3 §. 3. n. 35. Ad 2.

429 Objicies decimotertiò, & ultimò Saltem Qualitas spiritualis, ut gratia, non potest intendi per additionem gradûs ad gradum: ergo resolutio absolutè non stat. Probas antecedens. Gradus Qualitatis sunt partes Qualitatis; sed Qualitas spiritualis caret partibus; cùm sit indivisibilis: ergo saltem Qualitas spiritualis, ut gratia, non potest intendi per additionem gradûs ad gradum. Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem, concessâ maiore, distinguo minorem. Qualitas spiritualis caret partibus extensionis, concedo minorem: caret partibus intensionis, nego minorem, & consequentiam. Nec obstat, quòd Qualitas spiritualis sit indivisibilis, quia solùm est talis, quatenus excludit partes extensionis, vel considerata

rata ſecundùm eſſentiam metaphyſicam. Ex dictis

430 Deduces primò, nec formam ſubſtantialem, nec quantitatem, nec relationem, nec actionem intendi poſſe, rigoroſè loquendo. Ratio primi eſt: quia ſubſtantia non ſuſcipit magis, nec minus. Ratio ſecundi: quia non poſſunt dari plures partes quantitatis in eâdem parte ſubjecti. Ratio tertii: quia ad relationem non datur per ſe motus phyſicus, qui ad intenſionem requiritur. Ratio quarti: quia actio eſt forma ſimplex. Idem de reliquis prædicamentis, ſuis locis, dicendum. Igitur ſola Qualitas, eſtò non omnis, intendi poteſt, juxta ſuperius dicta n. 385.

431 Deduces ſecundò, gradus intenſionis Qualitatis eſſe homogeneos, ideſt, ejuſdem omnino rationis, & perfectionis. Ratio eſt: quia ad intenſionem Qualitatis, nec authoritas, nec ratio, aut experientia cogit admittere gradus heterogeneos, ſive diverſæ rationis. In iis non amplius immoramur, quoniam ex profeſſo omnia diſcutere non intendimus, ea præſertim, de quibus AA. prolixè diſputant, quorum doctrina concors eſt cum ſententiâ Reſoluti.

SECTIO IV.

De Prædicamento Relationis.

QUÆSTIO I.

Quid sit Relatio prædicamentalis?

432 RESOLUTIO: Relatio prædicamentalis benè definitur sic: *Forma, cujus totum esse est ad aliud.* Deducitur ex Doctore in 3. dist. 2. q. 1. art. 3. §. 2. vers. *Sed tertium.* Tenet definitionem Mag. Garcia dist. 2. Metaph. q. 5. art. 1. §. 2. n. 823. Eamdem ad mentem Resoluti explicat Mag. Zagaglia tom. 2. tract. 2. disp. 6. sect. 4. §. 2. num. 90. ante medium. Ferè omnes in hoc conveniunt, quòd totum esse Relationis prædicamentalis sit ad aliud, juxta id, quod docet Aristoteles cap. *De his quæ ad aliquid*, ubi sic Relativa prædicamentalia definit: *Quorum esse idem est ei, quod est ad aliquid aliquo modo se se habere*, id est, *quorum natura, & essentia est aliud respicere*, utì exponunt PP. Conimbricenses in Logica cap. 7. in principio. Cæterùm maior pars Philosophorum discordat à nobis non modò in eo, quòd per ly, *ad aliud*, intelligat terminum actu necessariò existentem, docente Bacconio, quòd intelligatur terminus actu, vel potentiâ ad existendum (de quo quæstione 4.) sed etiam in eo, quòd loco particulæ, *Forma*, ponat particulam, *Accidens*, quam compositò excludimus à definitione; quippe in sententiâ Bacconii Relationes Divinæ sunt res hujus prædicamenti, sive reales Relationes prædicamentales;

Baccon. Garcia. Zagaglia. Aristotel. Conimb.

tales; nequaquam autem accidentia. Ad plenam resolutionis intelligentiam,

433 Prænoto primò, Relationem abstractè sumptam à prædicamentali, & transcendentali sic definiri posse: *Forma, cujus esse est ad aliud*; cùm enim Relatio ex natura sua dicat ordinem ad terminum, non potest concipi absque tali respectu, seu ordine. Addit igitur Relatio prædicamentalis supra illam rationem communem Relationis, habere seu dicere totum suum esse ad aliud, ut liquidò constat ex definitione supra tradita, quod idem est, ac respicere terminum, ut purum terminum, per contrapositionem ad Relationem transcendentalem, quæ estò terminum respiciat, non tamen, ut terminum purum, sed ultra, exhibendo aliquod particulare exercitium. Hinc

434 Prænoto secundò, in hoc maximè differre Relationem prædicamentalem à transcendentali, quòd prædicamentalis est purus respectus ad terminum, non habens aliud munus, nec exercitium, nisi referendi ad terminum, ut purum terminum, ita quòd nequaquam terminetur ad absolutum formaliter, sed tantùm ad relativum. Sic se habent Relationes paternitatis, æqualitatis, similitudinis &c. Transcendentalis verò est respectus ad terminum, sed non purus; quia præterquam quòd referatur ad terminum, refertur habens speciale munus, sive exercitium. Sic se habent Relationes causæ, unionis, actionis &c. Relatio enim causæ refertur causando, unionis, uniendo, actionis, agendo. Placet hoc discrimen Mag. Garciæ dist. 2. Metaph. q. Garcia.
5. art. 2. §. 2. num. 835. Illustrissimo Palanco Metaph. Palanco.
tract. 6. q. 8. n. 2. Balthasari Telles Metaph. parte Telles.
3. disp. 42. sectione 1. n. 20. & aliis pluribus, præsertim Thomistis, estò aliis placere nequaquam pos-

Faber. sit, præcipuè Scotistis, nominatim Fab. 5. Metaph. Mastrius. disp. 20. cap. 2. & Mastrio disp. 8. Logicæ q. 1. n. 3. quorum fundamenta facilè ex dicendis solvuntur.

435 Dixi supra, *in hoc maximè differre*, quoniam alia discrimina tradunt ipsimet AA. quibus D.Thom. assignatum placuit. Aliud non omittam ex Doctore Angelico pulchrè expositum 1. parte q. 13. art.7. ad 1. ibi: *Relativa quædam sunt imposita ad significandum ipsas habitudines relativas, ut Dominus, servus, pater, & filius, & hujus modi: Et hæc dicuntur relativa secundùm esse. Quædam verò sunt imposita ad significandas res, quas consequuntur quædam habitudines, sicut movens, & motum, caput, & capitatum, & alia hujusmodi, quæ dicuntur relativa secundùm dici.* Ex quibus videtur dicendum, Relationem prædicamentalem, juxta D. Thomam, illam esse, quæ formaliter, & primariò dicit respectum ad aliud; transcendentalem verò illam, quæ tametsi dicat respectum ad aliud, solùm dicit talem respectum ex consequenti, primariò verò entitatem absolutam.

436 Prænoto tertiò, contra veteres Philosophos præcipuè Stoicos, dari à parte rei in lineâ physicâ utramque Relationem, videlicet prædicamentalem, & transcendentalem, sive secundùm esse, & secundùm dici. Quod detur Relatio transcendentalis ex eo patet, quia seclusâ quâvis intellectûs operatione, quilibet effectus à parte rei dicit habitudinem ad suam causam, respiciendo illam, tamquam principium suæ operationis, à quo habet esse; similiter quælibet causa respicit suum effectum, tamquam terminum suæ actionis productivæ. Quod autem detur Relatio prædicamentalis, de quâ speciatim hîc agimus, ex eo convincitur, quòd Ens reale physicum dividatur in decem prædicamenta; cùm autem

autem Relatio prædicamentalis sit unum ex illis, juxta Aristotelem, benè sequitur, quòd detur à parte rei in lineâ physicâ.

437 Probant communiter Philosophi, dari à parte rei physicè Relationes reales in creatis, ex eo, quòd sit de fide dari in Deo Relationes reales; nam sicut Paternitas, & Filiatio sunt Relationes in Divinis, quia Pater generat Filium, & Filius à Patre generatur, eâdem ratione paternitas creata, & filiatio erunt reales Relationes. Nos verò addimus, ex hoc convinci tales Relationes non modò esse reales, sed prædicamentales; siquidem tales sunt illæ in Divinis, cùm non sint formæ simpliciter absolutæ, sed una prorsus ad aliam; Paternitas enim in Divinis est purus ordo ad Filiationem, licèt actio generativa Divina, quæ est fundamentum proximum ipsius Paternitatis, transcendentaliter respiciat suum terminum. Nec obstat, quòd non colligatur dari in creatis Relationes substantiales ex eo, quòd substantiales sint Relationes Divinæ; nam ad hoc datur in Divinis diversum fundamentum, nempe incapacitas compositionis rei de novo advenientis, quæ quidem incapacitas in creatis non reperitur, imò implicat dari substantias creatas, quæ sint Relativæ per se ipsas.

438 Prænoto quartò, quatuor in Relato prædicamentali reperiri explicatu dignissima, videlicet subjectum, terminum, fundamentum, & rationem fundandi. Subjectum est id, quod refertur, sive cui Relatio remotè inhæret, seu nititur, idcirco dici solet fundamentum remotum. Terminus est id, quod ab alio respicitur, sive ad quod Relatio terminatur. Fundamentum est motivum proximum, in quo Relatio fundatur. Ratio verò fundandi non coincidit cum fundamento, sive cum motivo proximo,

ximo, in quo Relatio fundatur, ut tenent communiter Philosophi, sed est Relatio ipsa, quatenus subjectivè præcontinetur in potentiâ sui fundamenti ad se ipsam in actu, ut docet Resolutus in 1. dist. 26. q. 2. art. 3. § 2. versu ultimo, cujus singularem doctrinam expendit Mag. Garcia dist. 2. Metaph. q. 5 art. 6. § 2. Unde quando dicimus, *Ignis A est similis igni B in calore*, Ignis *A* est subjectum, ignis *B* terminus, calor fundamentum; ratio autem fundandi Relationem est Relatio ipsa, distincta quidem à calore, sed præcontenta in illo in potentiâ ad se ipsam in actu. His prænotatis,

Baccon.
Garcia.

439 Probo bonitatem definitionis sic: Illa est bona definitio, quæ constat genere, & differentiâ; definitio supra tradita constat genere, & differentiâ: ergo est bona. Maior liquet. Probo minorem. Constat illâ particulâ, *forma*, & aliis, *cujus totum esse est ad aliud*; sed prima habet locum generis ad alias formas, quæ Relationes non sunt; cæteræ verò habent rationem differentiæ, ut clarè constat ex supra prænotatis: ergo &c.

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

440 NOstræ resolutioni opponuntur Antiqui Philosophi cum Platone, quem tacitè impugnavit Aristoteles, ubi supra citatus, ob reverentiam sui Magistri, ut nonnulli dixerunt, quos, suppressis nominibus, refert Oviedo controv. 9. Metaph. puncto 1. in principio. Opponuntur etiam, sed ex parte tantùm, nostri Complutenses in Log. disp. 14. q. 1. in fine. Poncius ibidem disp. 15. n. 7. Telles parte 3. Metaph. disp. 42. sect. 1. n. 19. Mag. Bona spes Log. tract. 5. disp. 3. num. 131. & communiter Philosophi, quatenus Relationem prædicamentalem non

Platon.
Aristotel.
Oviedo.
Complut.
Poncius.
Telles.
Bona spes

non per ,*formam*, ſed per, *accidens*;definiunt. Pro his omnibus, & imprimis pro Antiquis cum Platone

441 Objicies primò. Relativa prædicamentalia ſic benè definiuntur: *Quæcunque hæc ipſa, quæ ſunt, aliorum eſſe dicuntur*: ergo malè definitur Relatio prædicamentalis per aliam definitionem. Probas antecedens. Talis definitio convenit omni Relationi prædicamentali: ergo Relativa prædicamentali ſic benè definiuntur. Reſpondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem, conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Quia ut definitio rectè procedat, ſatis non eſt, quòd conveniat omni definito, ſed ulterius requiritur, quòd alteri à definito non conveniat; definitio autem iſta convenit etiam ſubſtantiæ; (hæc non eſt Relatio) ſiquidem ſubſtantia dicitur ad aliquid, ut liquet in capite, & manu, quæ, utpote partes ſubſtantiales, alicujus dicuntur v. g. hominis. Hoc fundamento impugnat Ariſtoteles talem definitionem cap. citato, dicens: *Caput enim alicujus dicitur caput; & manus alicujus dicitur manus, & unumquodque tale eodem modo dicitur, quare hæc videbuntur ad aliquid eſſe. Si igitur eorum, quæ ſunt ad aliquid, definitio ſufficienter eſt aſſignata, aut omnino eſt difficile, aut impoſſibile, nullam ſubſtantiam ad aliquid eſſe oſtendere.* Ariſtotel.

442 Objicies ſecundò pro noſtris Complutenſibus, & aliis AA. ſupra citatis. Relatio prædicamentalis eſt accidens reale: ergo debet definiri per particulam, *Accidens*. Reſpondeo ad objectionem diſtinguendo antecedens: Relatio prædicamentalis creata eſt accidens reale, concedo antecedens: Relatio prædicamentalis Divina, vel Relatio præciſè ſumpta, ſive in communi, nego antecedens. Quia in ſententiâ Bacconii Relationes Divinæ, quæ certò ſunt ſubſtantiæ, ſunt veræ Relationes prædicamentales; Complut.

tales; siquidem in illis optimè potest coordinari series prædicabilium à genere supremo usque ad individuum, v. g. in Paternitate Divinâ, ratio Relationis tanquam genus supremum, ratio Paternitatis tanquam species subalterna, & ipsa ratio Paternitatis Divinæ tanquam individuum; idcirco negamus, quòd omnis Relatio prædicamentalis sit accidens.

443 Instabis. Relationes Divinæ identificantur cum substantia Dei absoluta: ergo non possunt collocari in prædicamento Relationis. Respondeo ad objectionem distinguendo antecedens: identificantur physicè, concedo antecedens: virtualiter, nego antecedens, & consequentiam. Quia sicut sufficit distinctio virtualis inter substantiam Divinam absolutam, & Relationes, ut istæ non dicantur proprietates absolutæ, sed relativæ, ita eadem distinctio sufficiens est ad hoc, ut collocentur in prædicamento Relationis, non obstante identitate physicâ cum substantia absoluta.

444 Objicies tertiò ad idem, ex doctrina Resoluti. Doctor expressè asserit, quòd omnis Relatio prædicamentalis sit accidens, ita quòd in Divinis non possint inveniri Relationes prædicamentales: ergo idem, quod supra. Probas antecedens ex eodem in 1. dist 28. q. 1. art. 4. §. 2. prope finem, vers. *Ad aliud* ibi: *Dico, quod non est simile, quia res relationis est in rei veritate accidens, sicut qualitas, & quantitas, ideo sibi repugnat secundùm propriam realitatem transferri ad divina, sicut qualitati, & quantitati.* Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem per authoritatem Doctoris dico, quòd cùm Henricus existimasset, Relationem non esse aliquid reale, secundùm propriam, & formalem rationem; quia si sic, cùm, juxta

Baccon.

juxta Doctorem præsertim, duo prædicamenta transferantur ad Divina, nempe substantia, & Relatio, sequeretur, quòd sicut substantia transfertur secundùm rem generis, ita & Relatio. Huic rationi satisfit Bacconius, ibi citatus, assignando diversam rationem, scilicet, quòd Relatio secundùm rem est accidens, sicut qualitas, & quantitas, non ita substantia, ut ex terminis patet. Unde solùm negat, quòd Relatio secundùm rem transferatur ad Divina, non autem secundùm rationem formalem habitudinis, concorditer ad ea, quæ docuerat etiam in 1. dist. 8. q. unica art. 2. §. 7. in principio, ubi inquit: *Debemus* Baccon. *enim imaginari, quod relatio, quæ est genus, & unum de decem prædicamentis, potest accipi dupliciter: uno modo quoad rem sui generis formaliter, & sic non est ponenda in Deo.* Et paulo infra: *Depuratur ergo ista habitudo* (quæ est Relatio) *ab istis conditionibus accidentalibus, & hujusmodi, & retinetur præcisa ratio habitudinis, & illa præcisa Deo attribuitur.*

445 Objicies quartò ad idem, & ex eodem Resoluto in 3. dist. 2. q. 1. art. 3. §. 2. vers *Item esse.* Ibi docet Doctor, quòd *esse* in, *& esse* ad *simplicem* Baccon. *quidditatem relationis integrant*; sed si Relatio prædicamentalis ex suo conceptu non esset accidens, sive si non definiretur per particulam, *accidens*, saltem esse *in* non esset de integritate Relationis prædicamentalis: ergo idem, ac prius. Maior constabit legenti ipsum. Probas minorem. Si Relatio prædicamentalis non esset accidens, non inhæreret; sed si non inhæreret, esse *in* non esset de illius integritate: ergo si Relatio prædicamentalis ex conceptu suo non esset accidens, esse *in* non esset de integritate ipsius Relationis.

446 Respondeo ad objectionem, concessâ

maiore, negando minorem. Ad probationem, concessâ maiore, nego minorem, vel distinguo: si non inhæreret, esse *in* inhærentiæ non esset de illius integritate, concedo minorem: esse *in* innitentiæ, nego minorem, & consequentiam. Ad intelligentiam horum terminorum, quibus utitur Bacconius in præsenti, scire oportet, quòd omni Relationi prædicamentali tam creatæ, quàm Divinæ, convenit esse *in* innitentiæ, quia nulla est, quæ non innitatur alicui fundamento, cum hoc discrimine, quòd si Relatio est creata, innitentia, quæ illi convenit, dicitur inhærentia propria accidentis; omnis enim Relatio creata est accidens. Si verò Relatio est Divina, non illi convenit inhærentia, sed tantùm innitentia, quæ ex conceptu suo solùm dicit inniti fundamento, præscindendo ab eo, quòd tale fundamentum sit realiter, an tantùm virtualiter distinctum. Cùm autem Relationes Divinæ innitantur naturæ, non minus, ac attributa essentiæ, sequitur, quòd esse *in* innitentiæ sit de conceptu Relationis prædicamentalis, quæcunque illa sit, estò Divinæ non inhæreant, sicut Relationes creatæ. Audiendus

Zagaglia. Mag. Zagaglia tom. 4 tract. 2. disp. 2. sect. 1. n 2. in fine: *Completur ergo* (Relatio Prædicamentalis) *per suum esse* ad *cum suo esse* in *seu cum suo modo fundandi. Hic non loquitur Doctor de* in *inhærentiæ, sed de esse* in *innitentiæ, id est, importat de formali inniti fundamento, à quo pullulat.*

447 Instabis. Si esse *in* innitentiæ esset de conceptu Relationis prædicamentalis, hoc colligeretur ex definitione ipsius Relationis; sed non colligitur: ergo esse *in* innitentiæ non est de conceptu Relationis prædicamentalis. Maior liquet. Probas minorem. Per definitionem supra traditam videtur evidenter colligi, totum esse Ralationis prædicamentalis

mentalis esse ad aliud: ergo estò colligatur, quòd esse *ad* sit de illius conceptu, non tamen esse *in*. Respondeo ad instantiam, concessâ maiore, negando minorem. Ad probationem distinguo antecedens: per definitionem supra traditam videtur evidenter colligi, totum esse explicitum Relationis prædicamentalis esse ad aliud, concedo antecedens: totum esse tam explicitum, quàm implicitum, nego antecedens, & consequentiam. Igitur verum est, quòd in definitione Relationis prædicamentalis supra tradita solùm ponimus explicitè esse *ad*, cæterùm implicitè includimus in illa esse *in*; semel enim, quòd totum suum esse sit respectus unius ad aliud, unum debet respicere secundùm esse *in*. Eapropter docet Mag. Garcia hic n. 829. Conceptum *in* priorem esse, saltem prioritate subsistentis consequentiæ conceptu *ad*; quippe valet consequentia ab isto ad conceptum *in*, secus è contra. Garcia.

448 Objicies quintò, & directè contra nostram definitionem. Si Relatio prædicamentalis definiretur per formam, *cujus totum esse est ad aliud*, definiretur per purum respectum ad terminum, non habens aliud munus, sive exercitium, nisi referendi; sed hoc est falsum: ergo malè definitur. Maior constat ex supra prænotatis n. 434. Probas minorem. Relatio paternitatis est prædicamentalis; sed ista habet aliud munus, sive exercitium, ultra munus referendi: ergo. Maior est certa. Probas minorem. Relatio paternitatis respicit suum terminum, ut genitum: ergo habet aliud munus, sive exercitium, ultra munus referendi. Respondeo ad objectionem concessâ maiore, negando minorem. Ad probationem, concessâ maiore, nego minorem. Ad probationem nego antecedens; quia respicere terminum, ut genitum, spectat ad actionem generativam, non ad

ad Relationem paternitatis, hæc enim ſolùm reſpicit terminum, ut purum terminum.

449 Objicies ſextò. Si Relatio prædicamentalis definiretur per formam, *cujus totum eſſe eſt ad aliud*, definiretur per id, quod refertur; ſed Relatio non eſt id, quod refertur: ergo non aptè definitur. Maior liquet. Probas minorem. Relatio ſolùm eſt id, quo aliquid refertur: ergo non eſt id, quod refertur. Reſpondeo ad objectionem negando maiorem; quia ex tali definitione, ſi more logico accipiatur, ſolùm colligitur, quòd Relatio referatur in actu ſignato, non in actu exercito, quod idem valet, ac eſſe principium referendi, & quòd referatur, ut *quo*, non,ut *quod*; hoc enim eſt proprium Relationis in concreto, ſive Relati. Quod ſi ex definitione Ariſtotelica deprehenditur, Relationem referri, ut *quod*, ideo eſt, quia Philoſophus Relationem in concreto, nempè Relatum, definivit. Et,
Conimbr. ut PP. Conimbricenſes ſupra citati advertunt ex B.
B. Albert. Alberto Magno cap. 2. ex tribus vocabulis, quæ huic prædicamento attribuuntur, videlicet Relatio, Relativum, & Relatum, ſolùm Relatum eſt magis proprium, quippe ſignificat exercitium referendi.

450 Objicies ſeptimò. Definitio ſupra tradita convenit materiæ primæ; ſed hæc non dicit Relationem prædicamentalem ad formas, bene quidem tranſcendentalem: ergo talis definitio convenit aliis à definito. Probas maiorem. Materia prima nihil aliud eſt, quàm pura potentia ad formas ſubſtantiales; ſed hoc idem eſt, ac habere totum ſuum eſſe ad aliud: ergo definitio ſupra tradita convenit materiæ primæ. Reſpondeo ad objectionem negando maiorem. Ad probationem, conceſſâ maiore, diſtinguo minorem: hoc idem eſt, ac habere totum ſuum eſſe ad aliud, intuitu recipiendi aliud, con-

concedo minorem: intuitu tantùm referendi, nego minorem, & consequentiam. Igitur materia prima, licèt totum suum esse habeat ad formas substantiales, non sistit in puro respectu, quoniam respicit formas intuitu recipiendi ipsas, & constituendi composita. De ratione autem Relationis prædicamentalis est, nullum habere commercium, præterquàm quòd referendi, sive respiciendi terminum, ut purum terminum.

451 Objicies octavò, & ultimò. Talis definitio convenit Unioni Hypostaticæ; sed hæc dicit transcendentalem habitudinem ad Verbum Divinum: ergo idem, quod supra. Probas maiorem. Unio Hypostatica respicit Verbum Divinum sub pura ratione termini: ergo talis definitio convenit Unioni Hypostaticæ Respondeo ad objectionem negando maiorem. Ad probationem nego antecedens; quia Unio Hypostatica taliter respicit Verbum Divinum, quòd realiter illi conjungit naturam humanam, quapropter illud respicit, aliquod munus exercendo, non ut purum terminum, prout requiritur ad Relationem prædicamentalem. Ex hucusque dictis

452 Deduces, Relationem prædicamentalem non mutuam terminari ad absolutum, mutuam verò ad Relativum. Ratio prioris partis est: quia Relatio prædicamentalis non mutua est illa, cui nulla in termino respondet Relatio realis, ut Relatio mensurabilis ad mensuram; sed terminus, cui nulla Relatio realis respondet, est in se quid absolutum undequaque: ergo Relatio prædicamentalis non mutua terminatur ad absolutum. Ratio posterioris partis est: quia Relatio prædicamentalis mutua est illa, cui in termino alia Relatio respondet, ut paternitas, cui in termino respondet filiatio; sed semel, quòd ex parte fundamenti detur Relatio per hanc

hanc idem fundamentũ respicit terminũ: ergo semel, quòd ex parte termini sit etiam Relatio, per hanc respicitur terminus à fundamento, ac per consequens, si Relatio prædicamentalis est mutua, terminatur ad Relativum formaliter, estò materialiter terminetur ad absolutum. De hoc nullus est, qui non disputet; cùm sit quæstio satis controversa inter Thomistas, & Scotistas. Nos præfatâ distinctione in via Bacconii procedimus.

QUÆSTIO II.

Quotuplex sit Relatio prædicamentalis?

453 RESOLUTIO: Relationes prædicamentales ex Philosopho 5. Metaph. cap. 5. adæquatè distribuuntur in tria genera. Relationes primi generis sunt illæ, quæ fundantur in convenientia, & disconvenientia. Cæterùm cùm convenientia possit reperiri vel in ratione substantiæ, vel quantitatis, vel æqualitatis; & convenientia in substantia faciat idem, in quantitate æquale, & in qualitate simile, idcirco, si convenientia duorum fuerit in substantia, fundabit Relationem prædicamentalem identitatis: si convenientia fuerit in quantitate, fundabit Relationem prædicamentalem æqualitatis: si verò convenientia fuerit in qualitate, fundabit Relationem prædicamentalem similitudis. Proportionali modo discurrendum est de disconvenientia, quæ, si fuerit in substantia, fundabit Relationem prædicamentalem diversitatis: si fuerit in quantitate, fundabit Relationem prædicamentalem inæqualitatis: si tandem fuerit in qualitate, fundabit Relationem prædicamentalem dissimilitudinis.

Aristotel.

454 Relationes secundi generis dicuntur illæ,

illæ, quæ fundantur in actione, & passione. Verùm, in sententiâ Bacconii, Relationes prædicamentales producentis, & producti fundantur immediatè in entitatibus causæ, & effectus, estò actio, & passio sint conditiones, ut causa denominetur actu Relata, & similiter effectus. Unde dicimus, Relationem prædicamentalem paternitatis fundari in entitate patris immediatè, siquidem debet fundari in eo, quòd manet, transactâ actione generativâ, cùm post generationem maneat denominatio patris. Spectant ad hoc genus non solùm Relationes prædicamentales producentis, & producti, sed etiam cognoscentis, & cogniti, domini, & servi, similesque aliæ.

455 Relationes tertii generis fundantur in mensurabili, & mensurâ, ad mensuram namque refertur prædicamentaliter mensurabile (loquimur de mensura intentionali, non de physica ad quantitatem phisicam spectante) sic scientiæ, præter Relationem transcendentalem, quam in illis omnes agnoscunt, referuntur prædicamentaliter ad sua objecta, tanquam mensurabiles ad mensuras; quanta enim fuerit veritas intrinseca in objectis, tanta erit perfectio scientiarum, & latitudo in veritate formali. Sic etiam voluntatis actus referuntur ad propria objecta. Docet Mag. Garcia hic num. 890. Relationes prædicamentales hujus generis non esse mutuas; quia quamvis scientiæ referantur ad objecta, secus è contra. Garcia. Verùm Bacconius distinctione procedit, dicens: *Quod relatio mensurati ad mensuram, & è contra, potest pensari dupliciter: uno modo in quantum unum est mensura, vel mensurativa, & aliud mensuratum, vel mensurabile: Alio modo secundùm dependentiam mensurationis: quia mensuratum in esse mensurato habet esse constitutum per mensuram, sicut scientia per scibile, & non è converso. Primo modo dici potest, quod* Baccon.

quod est relatio realis, & æqualiter mutua convertentia in mensurâ ad mensuratum, sicut è contra. Sed secundo modo est relatio realis in substantia mensurati tantùm, & non in substantia mensuræ: quia mensuratum est constitutum in esse mensurato per mensuram, & non è converso. In 1. dist. 29. q. unica art 1. §. 1. vers. *Sed ratio.*

QUÆSTIO III.

Quot sint proprietates Relationis prædicamentalis?

456 RESOLUTIO: Quatuor communiter assignantur proprietates Relationis prædicamentalis. Prima: *Quod habeat contrarium.* Verùm hæc proprietas non convenit Relationi ratione sui, sed tantùm ratione extremorum, inter quæ versatur. Non ratione sui; quia contraria ab eodem subjecto mutuò se expellunt; paternitas enim, & filiatio, cùm non possint respectu ejusdem successivè eidem subjecto inesse, neque ab eodem subjecto se mutuò possunt expellere. Similiter discurrendum de cæteris Relationibus prædicamentalibus. Convenit nihilominus talis proprietas Relationi prædicamentali, ratione extremorum, inter quæ versatur, si fundetur in qualitatibus, vel in rebus, inter quas est vera contrarietas; ideoque Philosophus ipse ponit exempla hujus proprietatis, non in Relationibus ratione sui, sed in qualitatibus, in quibus fundantur, videlicet in virtute, & vitio, scientiâ, & ignorantiâ, quòd benè notavit Mag. Didacus à Jesu in Log. 3 part. disp. 14. q. ultimâ in principio, ubi etiam observat, hanc proprietatem non tradi ab Aristotele ex propriâ sententiâ, sed ex sententiâ Antiquorum.

Didacus.

457 Se-

457 Secunda proprietas Relationis prædicamentalis: *Quod suscipiat magis, & minus.* Ast etiam hæc non convenit Relationi prædicamentali ratione sui, sed tantùm ratione fundamenti. Non ratione sui, quia suscipere magis, & minus ex contrarietate oritur, hâc autem caret Relatio prædicamentalis, ut dictum est supra; neque ad istam datur per se motus, uti in Physica diximus; benè tamen ratione sui fundamenti, maximè si hoc sit qualitas, quæ absque controversia potest intendi, & remitti.

458 Tertia proprietas Relationis prædicamentalis: *Quod faciat dicere ad convertentiam Relativa.* Quod est idem, ac denotare habitudinem unius ad alterum, ita ut ex vi illius, alterum quoque ad ipsum referatur. Sic pater dicitur pater filii, & filius filius patris. Sed est observandum, duo inter se converti, non esse idem, ac dici ad convertentiam; homo quippe & risibile inter se convertuntur, nam si homo est, & risibilis est; si hic fuerit, & homo quoque esse debet; sed non propterea dicuntur ad convertentiam, quia dici ad convertentiam est referri in aliquem, tamquam in terminum, quo pacto se habent Relata, non autem homo, & risibile. Nihilominus non est hæc proprietas ita propria Relationis prædicamentalis, quòd non conveniat etiam transcendentali; nam etiam Relata aliqua transcendentalia ad convertentiam dicuntur.

459 Quarta tandem proprietas Relationis prædicamentalis: *Quod Relata per talem Relationem sint simul naturâ, & cognitione.* Non tamen convenit hæc proprietas omnibus Relatavis prædicamentalibus, ut ostendit ipse Philosophus, cap. *de his, quæ ad aliquid.* Mag. Garcia, hîc num. 990 vult, quòd ly, *simul*, intelligatur quoad exigentiam, non quo- Aristotel. Garcia.

quoad existentiam; quia, inquit, prius, & posterius sunt Relata, quin possint coexistere, & hoc ex D. Resoluto, quem citat ibid. Verùm si Relata sumantur formaliter, ut actu Relata, necdum exigentiam, sed coexistentiam requirunt; sic enim non est prius, & posterius, ut docet ipse Bacconius in 1. dist 6 in fine vers. *Ad argumenta*, ibi: *Quando dicunt, quòd relativa sunt simul naturâ, & intellectu, dico, quòd verum est, ut sunt relativa formaliter accepta, quia relativa formaliter accepta dicuntur in habitudine, & ad convertentiam, & sic non est prius, & posterius.*

Baccon.

460 Nec obstat, quòd Relatio prædicamentalis non requirat terminum actu existentem; quia existentiam termini solùm denominat fundamentum proximè referibile, non actualiter Relatum. Sed de iis sequenti quæstione. Hîc tamen adhuc duo restant explicanda. Primum: ad hoc ut Relata sint simul naturâ, duas requiruntur conditiones, videlicet, quòd ipsa mutuò se inferant, & quòd unum non sit causa alterius, ut colligitur ex Aristotele cap. de Modis simul: *Naturâ veró ea dicuntur simul, quæ essendi quidem consequentia cum convertantur, neutrum tamen ut sit alterum, causa est: ut in duplo dimidioque intueri licet; hæc enim convertuntur. Nam si duplum est, dimidium est, & si dimimidium est, duplum est: neutrum tamen est causa ut alterum sit.* Sic etiam pater, & filius sunt simul naturâ, nam si est pater, & filius est, vel fuit; & si filius, utique patrem esse, vel fuisse necesse est. Nec obstat, quòd pater sit causa filii; nam non est causa in ratione Relati; siquidem una Relatio, cùm non sit activa, non efficit aliam. Solùm igitur pater est causa filii in ratione producentis.

Aristotel.

461 Secundum, quod restat explicare procedit

cedit circa ſimultatem cognitionis Relativorum, videlicèt, quòd unum Relativum, ſive Relatum, ſine altero cognoſci perfectè nequeat; eo enim ipſo, quòd Relativa formaliter ſumpta ſint ſimul naturâ, unum per aliud, ſecundùm quod eſt Relativum, definiri conſequens eſt. Complutenſes noſtri in Log. disp. 14. de Relatione, q. ultimâ in fine. Illuſtriſſimus Joannes Cano ibid. parte. 2. l. 4. diſp. 4. q. 6. verſ. *Quarta*, aliique plures judicant, proprietatem iſtam convenire huic prædicamento, quarto modo proprii. Oppoſitum tamen docet Reſolutus in 1. diſt. 28. q. 1. art. 2. §. 2. ubi aſſerit, hanc ſimultatem quoad cognoſci competere aliis à Relatione prædicamentali. Unde, ibid. prope finem, loquendo de materia prima, hæc habet: *Intellectus cogitur intelligere materiam in habitudine ad formam, maximè quando eſt in potentiâ propinquâ ad formam, & tamen non eſt relatio realis inter hæc.* Addit Mag. Garcia, ubi ſupra n. 991. quòd neque ſimultas illa naturæ eſt propria prædicamentalis Relationis quarto modo; quippe competit riſibili & flebili, quæ non ſunt Relationes, ſed proprietates abſolutæ.

Complut. Cano. Baccon. Garcia.

QUÆSTIO IV.

Utrùm Relatio prædicamentalis requirat terminum actu exiſtentem?

462 RESOLUTIO eſt negativa. Ita Doctor in 1. diſt. 26. q. 1. art. 2. §. 3. & 4. & aliis in locis, quos citant, & amplectuntur Mag. Zagaglia tom. 2. tractatu 2. diſp. 6. ſectione 4. §. 2. n. 91. Mag. Garcia Metaph. diſt. 2. q. 5. art. 3. §. 1. & Mag. Bona ſpes, Logicæ tractatu 5. diſp. 3. dubio 5. Cùmque certiſſima ſit in via Bacconii, ab omnibus

Baccon. Zagaglia. Gaacia. Bona ſpes

suis acriter debet defendi contra communem Philosophorum, & Theologorum sententiam. Hæc etiam
Arimin. fuit opinio Gregorii Ariminensis in 1. dist. 28. q. 2. art. 1. quem pauci secuti fuere. Ad intelligentiam resolutionis prænoto primò, essentiam Relationis prædicamentalis non esse actu referre, sed constituere subjectum proximè referibile; antequam enim terminus coexistat, non denominatur fundamentum actu relatum, estò denominetur actu relativum, sive referibile, cùm in illo jam existat formaliter Relatio prædicamentalis secundum esse *in*, & etiam secundum esse *ad*, saltem entitativè; est enim esse *ad* in Relatione identificatum cum esse *in*, quapropter utrumque est ens reale.

463 Prænoto secundò, Relationem prædicamentalem creatam esse formam accidentalem congenitam cum fundamento proximo, non advenientem de novo ad positionem termini, uti docet
Baccon. Doctor in 1 dist 28. q 2. art 4 §.2. vers. *Ad secundum*, dicens, quòd Relatio præcedit in suo fundamento. *Et dicitur* (inquit) *solùm noviter advenire quantum ad illam novam conterminationem cum suo opposito, non autem quantum ad realitatem relationis* Hinc

464 Prænoto tertiò, aliud esse, quòd Relatio quoad terminationem pendeat ab existentiâ termini; aliud verò, quòd pendeat ab illo quoad entitatem. Primum verum est; quia Relatio solùm à termino terminari potest. Secundum autem est falsum; quia quoad entitatem est congenita cùm fundamento, quo posito, resultat tamquam modus ipsi fundamento necessariò affixus. Unde idem Bacco-
Baccon. nius quodlib. 1. q 13. vers. *Hoc arguendo*, docet: *Quod aliquid esse realiter, & actualiter, & formaliter relativum potest intelligi dupliciter: uno modo* (hoc modo non pendet ab actuali existentiâ termini)

ni) *quod relatio consideretur quantum ad quidditatem, & formalem rationem relationis, quæ est ad aliud se habere: alio modo* (hoc modo pendet à termini existentia) *quantum ad actualem concomitantem terminationem, quam habet per terminum correlativum sibi oppositum.* His prænotatis,

465 Probo resolutionem hoc unico, sed gravi fundamento: Relatio prædicamentalis adæquatè dividitur in Relationem primi, secundi, & tertii generis; sed nulla ex istis requirit necessariò terminum actu existentem: ergo. Maior est certa, constatque ex quæstione 2. hujus præsentis sectionis. Probo minorem, & imprimis quoad Relationes primi generis. Relationes prædicamentales primi generis sunt illæ, quæ fundantur in convenientiâ, v. g. Relationes similitudinis; sed hæ non requirunt terminum actu existentem: ergo. Maior constat etiam ex ibid. dictis. Probo minorem. Relatio similitudinis unius albedinis ad aliam est congenita cum priori albedine: ergo non requirit terminum actu existentem; hic enim solùm requiritur, ut prior albedo actu referatur, non autem, ut actu sit referibilis. Probo antecedens. Si Relatio similitudinis unius albedinis ad aliam non esset congenita cum priori albedine, ad positionem posterioris albedinis, resultaret in priore Relatio similitudinis quoad entitatem; sed hoc non: ergo. Maior liquet. Probo minorem. Si verè resultaret in priore albedine Relatio similitudinis quoad entitatem, album per priorem albedinem mutaretur intrinsecè per talem Relationem noviter resultantem, eique inhærentem; sed hoc non, cùm sit contra Philosophum 5. Physic. cap. 2. docentem, ad Relationem non dari per se motum; quia, positâ noviter albedine in termino, album præexistens non mutatur, estò incipiat de novo referri Aristot.

referri ad aliud quoad illam novam conterminationem: ergo &c.

466 Probo eamdem minorem quoad Relationes secundi, sic: Relationes secundi generis sunt v. g. paternitas, vel maternitas, & filiatio; sed hæ non requirunt terminum actu existentem: ergo. Maior constat ex ibid. supra dictis. Probo minorem. Beatissima Virgo MARIA adhuc in triduo mortis Christi dicebatur Mater Christi, constatque ex Sacris Literis, ipsam doluisse mortem Filii: ergo Relationes prædicamentales secundi generis, quales sunt paternitas, vel maternitas, & filiatio, non requirunt terminum actu existentem.

467 Probo denique eamdem maiorem quoad Relationes tertii generis, sic: Relationes istæ fundantur in mensurabili ad mensuram, utî se habent Relationes scientiæ ad sua objecta; sed hujusmodi Relationes non requirunt terminum actu existentem: ergo. Maior constat ex ibidem dictis eâdem quæstione 2. Probo minorem ex Bacconio sic ratiocinante: *Nullâ rosâ existente in actu existentiæ, possum habere actualem scientiam de eâ; sed scientia illa erit actu relativa: ergo &c. Probo, quia scientia illa actualis, quam habeo, non erit respectu scibilis in actu existentis perpetui, nec potest esse sine scibili omninò: quia* (alioquin) *esset actus sine objecto terminante: igitur requirit in hoc casu scibile solùm in esse objectivo; sed scibile solùm in esse objectivo, non existit actu in rerum naturâ, & actu conterminat scientiam: ergo &c.* Quodlib. 1. q. 13. vers. *Item nulla rosa.*

Pro-

Proponuntur objectiones, & dissolvuntur.

468 NOstræ resolutioni opponuntur Thomistæ omnes, nominatim Capreolus, Caietanus, Soncinas, quos, inter alios, citat, & sequitur Didadus Masius Log. sect. 3. in Cathegor. de Relatis q 7. vers. *His, & aliis.* Opponuntur etiam Scotistæ cum Doctore Subtili, quem citat, & sequitur Poncius, Log. disp. 15. q. 2. conclusione 2. Doctores Societatis cum Eximio, disp. 47. suæ Metaph. sectione 8. n. 4. signanter Oviedo, ibidem, controversiâ 9. puncto 3 n. 8. Comptonus, ibid disp 11. sectione 13. n. 3. Telles, ibid. parte 3. disp. 62. sectione 6. n. 1. ubi affirmat ex eodem Suario citato, neque Divinitùs posse Relationem realem existere sine termino reali. Suarius Lusitanus, ibid. tract. 5. disp. 1. sect. 4. n. 104. Pro his omnibus

Capreol. Caietanus Soncinas. Masius. Poncius. Suar. M. Oviedo. Comptonus. Telles. Suar. Lusit.

469 Objicies primò Fundamentum non potest esse actualiter, & formaliter Relativum prædicamentale, nisi terminus actu existat: ergo Relatio prædicamentalis necessariò requirit terminum actu existentem. Probas antecedens: Relativa prædicamentalia sunt simul naturâ, ex Philosopho cap. *De his, quæ ad aliquid*; sed quæ sunt simul naturâ, sunt simul secundùm actualem coexistentiam: ergo fundamentum non potest esse actualiter, & formaliter Relativum, nisi terminus actu existat. Respondeo ad obiectionem distinguendo antecedens: si fundamentum sit actualiter, & formaliter relativum quantùm ad actualem concomitantem terminationem, quam habet per terminum correlativum sibi oppositum, concedo antecedens: si fundamentum sit actualiter, & formaliter relativum quantum ad quidditatem, & formalem rationem Ralationis præcisè, nego

Aristotel.

nego antecedens, & consequentiam. Distinctio liquet ex supra prænotatis. Ad probationem antecedentis, datâ maiore, nego minorem. Quia, quæ sunt simul naturâ, non requirunt necessariò mutuam coexistentiam, sed satis est, quòd habeant mutuam coexigentiam, ut probat Doctor ex Aristotele 5. Metaph. text. com. 2. docente, quod Relativa secundùm potentiam dicuntur non solùm secundùm tempora præsentia, sed etiam præterita, & futura, quæ non possunt habere mutuam coexistentiam cum actu existentibus.

Baccon. Aristotel.

470 Propterea advertit, *quòd aliud est relativa esse simul naturâ secundùm mutuam coexigentiam; & aliud secundùm mutuam actualem existentiam; omne enim, quod in aliud est ordinatum, seu aptitudinem habens respectu alterius, ipsa se requirunt secundùm mutuam coexigentiam, non tamen secundùm mutuam actualem coexistentiam; quia tunc res esset, quando est sub sola aptitudine, & sic actu existeret, antequam actu esset.* Quodlib. 1 q.13 vers. *Ad declarationem.* Dixi supra, *datâ maiore.* Quia regula illa Aristotelica non est ita universaliter vera, quòd exceptionem non admittat in aliquibus Relativis prædicamentalibus, ut videre est apud eumdem Aristotelem, cap. citato ad medium, ubi hæc habet: *At verò ea, quæ sunt ad aliquid, simul natura esse videntur: atque in pluribus quidem vera est hæc sententia, in quibusdam autem vera non est.*

..l.

471 Instabis. Est repugnantia intellectûs, quòd aliquid sit Relativum, & non sit per aliud terminatum: ergo & quòd Relativa non requirant necessariò mutuam coexistentiam. Respondeo ad instantiam, ex eodem Doctore ibid. vers. *Dices*, distinguendo antecedens: est repugnantia intellectûs, quòd aliquid sit Relativum, & non sit per aliud terminatum

Baccon.

minatum quoad alterius coexigentiam, vel coexiſtentiam, concedo antecedens: ſemper quoad alterius coexiſtentiam, nego antecedens, & conſequentiam. *Quia eò quòd ad aliud eſt, coexigit; ſed non oportet per actualem concernentem exiſtentiam.* Doctor, ibidem.

472 Replicabis. Terminus non exiſtens eſt non ens; ſed ad non ens, non eſt Relatio realis: ergo, ſi aliquid eſt Relativum reale, oportet, quòd terminetur per actualem concernentem coexiſtentiam. Reſpondeo ad replicam diſtinguendo maiorem: terminus non exiſtens eſt non ens, quod tamen eſt ens poſſibile; concedo maiorem: quod eſt ens impoſſibile, nego maiorem. Deinde diſtinguo minorem: ad non ens, quod eſt ens impoſſibile, non eſt Relatio realis, concedo minorem: ad non ens, quod tamen eſt ens poſſibile, non eſt Relatio realis, nego minorem, & conſequentiam. Igitur ad non ens, quod eſt ens impoſſibile, verum eſt, quòd non ſit Relatio; ſiquidem impoſſibile non eſt exigibile, nec ad illud eſt aliquid ex ſui naturâ ordinabile. Cæterùm ad non ens, quod tamen eſt ens poſſibile, eſt aliquid de ſui naturâ ordinabile, ex quo eſt exigibile. Solutio eſt ejuſdem Doctoris, ubi nuper citati, quam Baccon.
Mag. Garcia hîc n. 859. confirmat exemplo deſiderii; quia, inquit, ſicut deſiderium actu exiſtens in Garcia.
deſiderante poteſt terminari ad rem poſſibilem, ita Relatio actu exiſtens in fundamento poteſt ſimiliter terminari ad rem poſſibilem.

473 Urgebis. Res poſſibilis eſt producibilis; ſed ad producibile non poteſt eſſe Relatio realis ex parte productivi: ergo neque ad rem poſſibilem. Maior liquet. Probas minorem. Ad productivum non poteſt eſſe Relatio realis ex parte producibilis: ergo neque ad producibile ex parte produ-

ctivi. Respondeo ad urg. concessâ maiore, neg.minorem. Ad probationem, concesso antecedente, nego consequentiam. Disparitas est: quia nihil potest fundare Relationem realem, nisi realiter existat, cùm autem producibile non existat realiter, ex parte ipsius non potest esse Relatio realis ad productivum. Ast productivum, cùm realiter existat, idcirco ex parte ejusdem potest esse Relatio realis ad producibile. Ultima ratio est: quia Relatio in suo esse actuali pendet à fundamento, cui innititur, non à termino, ab hoc enim solùm pendet quoad terminationem concomitantem actualem, ut dictum est supra.

474 Objicies secundò. Relatio creata est modus: ergo requirit terminum actu existentem. Antecedens constat ex supra dictis. Probas consequentiam. Modus actionis requirit terminum actu existentem: ergo etiam modus Relationis. Antecedens frequenter conceditur. Probas consequentiam. Non minus dicit ordinem ad terminum Relatio, quàm actio: ergo si ista requirit terminum actu existentem, ita & illa. Respondeo ad objectionem, concesso antecedente, negando consequentiam. Ad probationem, dato antecedente, nego consequentiam. Ad ejusdem probationem distinguo antecedens: non minus, & diverso modo, concedo antecedens: non minus, & eodem modo, nego antecedens. Diversus modus stat in eo, quòd actio ita respicit terminum, quòd recipitur subjectivè in illo. Cæterùm Relatio solùm innititur fundamento, & estò respiciat terminum, cum non innitatur illi, idcirco terminum actu existentem non requirit, quoad suum esse actuale. Dixi, *dato antecedente*, ob actionem annihilativam, quæ non petit terminum actu existentem, cùm potius sit destructiva ipsius.

475 Objicies tertiò. Si Relatio prædicamentalis

mentalis, ſimilitudinis v.g. non requireret neceſſariò terminum actu exiſtentem, ſequeretur, quòd paries albus eſſet ſimilis parieti non albo; ſed hoc eſt diſſonum naturæ lumini: ergo Relatio prædicamentalis ſimilitudinis requirit neceſſariò terminum actu exiſtentem. Probas ſequelam maioris. Si Relatio prædicamentalis ſimilitudinis non requireret neceſſariò terminum actu exiſtentem, paries albus eſſet ſimilis parieti non exiſtenti albo, ſed potenti exiſtere; ſed paries non exiſtens albus, ſed potens exiſtere, eſt paries non albus: ergo ſequeretur, quòd paries albus eſſet ſimilis parieti non albo. Probas maiorem. Paries albus diceret Relationem ſimilitudinis ad parietem non exiſtentem album, ſed potentem exiſtere: ergo eſſet ſimilis parieti non exiſtenti albo, ſed potenti exiſtere. Reſpondeo ad objectionem negando ſequelam maioris. Ad probationem nego maiorem. Ad probationem, conceſſo antecedente, nego conſequentiam. Quia aliud eſt dicere Relationem ſimilitudinis, (nota) aliud verò eſſe ſimile. Dicere Relationem ſimilitudinis ſolùm importat formaliter eſſe Referibile ad aliud, ſic paries albus Referibilis eſt ad terminum non exiſtentem album, ſed potentem exiſtere. Eſſe verò ſimile dicit eſſe actualiter Relatum ad aliud, & ſic paries albus non eſt Relatus ad terminum non exiſtentem album, ſed ſolùm ad exiſtentem album.

476 Igitur, ut ſalvetur eſſentia Relationis prædicamentalis, non eſt opus, quòd ſubjectum ſit actualiter Relatum, & quòd ita determinetur formaliter, ſed ſatis eſt, quòd ſit proximè Referibile formaliter, quod habet per Relationem, cùm ex ſe ſolùm ſit materialiter Referibile. Sic ſpecies Angelicæ, ante exiſtentiam futurorum, ſolùm denominant intellectum Angelicum proximè, & formaliter aſſimi-

labilem futuris, non formaliter assimilatum.

477 Objicies quartò. Relatio similitudinis non est congenita cum albedine: ergo corruit fundamentum supra traditum. Probas antecedens. Si Relatio similitudinis esset congenita cum albedine, in eodem subjecto albo essent actu infinitæ Relationes similitudinis; sed hoc non: ergo neque id, ex quo sequitur. Probas assumptum. Si Relatio similitudinis esset congenita cum albedine, idem subjectum album esset Referibile ad infinitos terminos albos: ergo in eodem subjecto albo essent actu infinitæ Relationes similitudinis. Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem nego maiorem. Ad cujus probationem distinguo antecedens: idem subjectum album esset Referibile ad infinitos terminos albos, per eamdem Relationem, concedo antecedens: per diversas Relationes, nego antecedens, & consequentiam. Quia sicut sufficit unica albedo in subjecto, ut hoc dicatur fundamentaliter simile omni albo, ita unica Relatio similitudinis ei sufficiet ad omnia alba. Unde Doctor in 3. dist. 8. art. 2. §. 2. vers. *Item si*, loquendo de similitudine albedinis, docet, quod talis *similitudo est una numero, sicut fundamentum.* Baccon.

478 Objicies quintò. Relatio paternitatis necessariò requirit terminum actu existentem: ergo. Probas antecedens primò ex D. Damasceno lib. 1. Orthod. Fidei cap. 8. sic loquuto de Patre, & Filio in Trinitate: *Neque enim Pater unquam fuit, quin Filius quoque esset, verum simul Pater, simul Filius.* Ex quibus generaliter infert: *Neque enim pater vocari queat, qui filio careat.* Secundò ex D. Athanasio de S. Spiritu, circa finem: *In Divinis semper Pater est, & Filius semper Filius: in rebus autem humanis non est eodem modo, siquidem in hominibus,* D.J.Dam. D.Athan.

nibus, qui est pater, non semper est pater, neque qui filius semper filius. Tertiò ex D. Cyrillo Alexandrino l. de Trinitate cap. 7. dicente: *Non erat unquam Pater, quando Filius non erat, sed simul Pater, & Filius ex ipso genitus; quippe pater, qui caret filio nemo vocetur.* D. Cyril.

479 Respondeo ad objectionem negando antecedens. Ad probationem primam per illationem Damasceni nostri, dico cum M. Bonaspe, supra etiam laudato, verba illa, *qui filio careat*, sic esse intelligenda, id est, *qui filium non genuerit*; nam, qui numquam filium genuit, vocari non potest pater; estò enim Relatio secundi generis fundetur immediatè in entitate causæ, tamen generatio activa, & passiva sunt conditiones, ut causa, & effectus denominentur actu Relata. Ad secundam probationem per authoritatem D. Athanasii dico, S. Doctorem locutum fuisse de patre creato quoad denominationem formaliter Relati, ad quam, uti supra diximus, requiritur existentia termini, & in hoc sensu verum est, quòd, qui est pater, non semper sit pater, neque, qui filius, semper filius, quo non obstante, semper pater, qui habuit filium, est Referibilis formaliter ad illum, & econversò. Exquibus patet solutio non tam ad illam causalem nostri S. Cyrilli Alexandrini, in qua fundatur tertia ejusdem antecedentis probatio, sed etiam ad id, quod Adversarii addunt de communi Antiquorum usu loquendi, juxta illud Ovidii de Dedalo, & Icaro: *At pater infælix, jam non pater Icare clamat.* Bona spes Ovid.

480 Objicies sextò. Communiter dicitur: *Pater est, qui habet filium*; sed ista definitio esset diminuta, nisi Relatio paternitatis requireret actualem existentiam termini: ergo talem existentiam requirit. Probas maiorem. Parentibus non existentibus,

bus, nullus dicit, Petrum v. g. esse filium illorum sed fuisse tantùm: ergo communiter ab omnibus dicitur: *Pater est, qui habet filium.* Probas etiam minorem. Si Relatio paternitatis non requireret actualem existentiam termini, quivis esset pater respectu filii possibilis: ergo talis definitio esset diminuta, nisi Relatio paternitatis requireret actualem existentiam termini. Accedit D. Thomas 4. Contra gentes cap. 14. dicens: *Hæc est ratio patris, ut sit filii pater.*

D.Thom.

481 Respondeo ad objectionem, in qua multum fidit P. Comptonus supra laudatus, concessâ maiore, dummodò sensus illorum verborum: *Pater est, qui habet filium*, per ampliationem sit iste: *Pater est, qui gignit, vel genuit filium*: non verò: *qui gignit tantùm*; ex quo sequitur, quòd, adhuc deficiente filio, pater, qui illum genuit, sit verus pater. Ad probationem maioris nego antecedens; quinimò contrariũ constat ex communi usu loquendi; frequenter enim dicimus: *Comes iste est filius talis Marquionis*, etiam patre defuncto. Deinde nego illam minorem supra, quòd præfata definitio esset diminuta in sensu exposito. Ad probationem nego antecedens; quia quamvis Relatio generativi, & genitoris sit eadem numero Relatio, est tamen diversimodè terminata; Relatio enim generativi non dicitur genitoris, nec patrem denominat ante actum generandi. Sicut in opinione Relationem identificante realiter cum substantia, non sequitur, quòd substantia ipsa denominetur pater, ante generationem.

Comptonus.

482 Unde estò Relatio paternitatis non requirat actualem existentiam termini, non inde quivis esset pater respectu filii possibilis; benè verò respectu filii mortui, quem genuit; sicut dominus dicitur

citur talis reſpectu ſervi, etiam mortui, qui ei aliquando inſervivit, ita quòd ille affirmare poſſit: *Servus meus mortuus eſt*: qui modus loquendi, ut obſervat Mag. Bona ſpes, verificari non poteſt, niſi ex præſuppoſito dictæ ampliationis. Ex quo liquet reſponſio ad illud D. Thomæ, & ad ſimiles PP. locutiones. Ex dictis

483 Deduces, Relationem prædicamentalem ſpecificari formaliter à fundamento, ſive à modo fundandi, non à termino. Ratio eſt: quia Relatio prædicamentalis pendet in ſuo eſſe à fundamento, cui innititur eſſentialiter, non à termino, eſtò hunc eſſentialiter etiam reſpiciat. Nam etiam natura reſpicit tranſcendentaliter ſuas proprietates, & tamen non ſpecificatur ab iſtis. Unde, licèt tollatur terminus, ſemper manet Relatio quoad entitatem, tametſi quoad actualem denominationem deficiat. Vide Mag. Garciam diſt. 2. Metaph. q. 5. art. 8. §. 1. 2. & 3. Garcia.

SECTIO V.

De Prædicamentis Actionis, & Paſſionis.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex ſit Actio?

484 RESOLUTIO: Actio prædicamentalis definiri poteſt ſic: *Forma, qua agens communicat eſſe paſſo.* Deducitur ex Doctore in 1. diſt. 8. q. unica art. 2. §. 4. & 5. Particula, *Forma*, habet locum generis: Cæteræ locum differentiæ, explicantque reſpectum tenentem Baccon.

tem

tem se ex parte ipsius Actionis, nempe respectum *à quo aliud*, id est, ejus, à quo aliud accipit esse, qui quidem est de quidditate, & essentiâ Actionis; non enim salvari potest ejusdem quidditas, & essentia, nisi ibi sit datio esse, ut docet idem Bacconius Quodl. 3. q. 10. vers. *Item alio modo*, ibi: *Quod actio dicit respectum originis à quo aliud.* Motus verò, vel mutatio, non est de intrinseca, aut quidditativa ratione Actionis, qua talis, sed tantùm de ratione Actionis physicæ creatæ. Unde *Actio, ut actio, nullam imperfectionem dicit, quia dicit tantùm communicationem, & dationem esse.* In 1. d. 8. q. un. art. 2. §. 4. vers. *Item actio.*

Baccon.

485 Dividitur Actio in Divinam, & creatam. Divina est datio, & communicatio esse Divini; Pater enim producit Filium, eique communicat esse. Similiter Pater, & Filius producunt Spiritum Sanctum, cui Naturam Divinam commnicant. Actio creata est datio termini creati: hæc subdividitur in Actionem creativam, & eductivam, quas distinguimus, & explicamus tom. 2. tractatu 1. disp. 2. sectione 1. q. 8. n. 351. Nec obstat, quòd Actio creativa sit solius Dei, ut dicatur creata; siquidem dicitur talis per ordinem ad terminum creatum: deinde est accidens realiter ab ipso Deo distinctum, ut fatetur Doctor in 2. dist. 1. q. 2. ubi agit de Creatione. Verùm præcipua Actionis creatæ subdivisio est, in Actionem animæ, & corporis: prima est omnis Actio non corporalis, sive sit intellectûs, sive voluntatis: Secunda à corporali forma denominatur. De hac divisione videndus B. Albertus Magnus tom. 1. l. de sex Principiis tractatu 2. cap. 3.

Baccon.

Alb. Mag.

486 Ulterius dividitur Actio in substantialem, & accidentalem: substantialis dicitur illa, quæ ad substantiam terminatur, ut Actio productiva ignis,

nis, vel aquæ, vel alterius substantiæ: accidentalis illa dicitur, quæ ad accidens terminatur, ut Actio productiva caloris, frigiditatis, vel alterius accidentis. Dividitur etiam Actio in successivam, & instantaneam: successiva respicit terminum successivè acquisitum, ut Actio productiva lucis in aere: instantanea respicit terminum in instanti productum, ut Actio productiva ignis in stupa. Tandem dividitur Actio in immanentem, & transeuntem: Actio immanens sic dicitur, quia terminus ejus manet in ipso agente, ut intellectio in eodem intelligente: Actio transiens ita nuncupatur, quippe non manet in agente, sed transit ab illo, ut plantatio rosæ v. g.

QUÆSTIO II.

Quid, & quotuplex sit Passio?

487 RESOLUTIO: Passio definiri potest sic: *Forma, per quam in passo recipitur esse ab agente.* Deducitur ex Doctore, loco sup. citato n. 484. Prima particula habet locum generis; reliquæ locum habent differentiæ, explicantque respectum, *quod ab alio*, idest illius, quod accipit esse ab alio, sine quo Passio intelligi non potest; sicut neque Actio sine respectu *à quo aliud*, utî supra diximus ex Bacconio, docente ipso, ibidem: *Quod actio dicit respectum originis à quo aliud, & passio quod ab alio.* Sine motu verò, vel mutatione, optimè valet intelligi Passio, ut talis, concorditer ad ea, quæ de Actione, ex eodem Doctore, docuimus. Baccon.

Quod attinet ad Passionis quotuplicitatem judico discurrendum proportionali modo, sicut de Actione; cum Actio, & Passio mutuò se inferant.

QUÆSTIO III.

Quot sint proprietates Actionis, & Passionis?

488 RESOLUTIO: Proprietates Actionis, & Passionis, quæ communiter à Philosophis assignantur, duæ sunt. Prima: *Quòd Actio, & Passio mutò se inferunt.* Secunda: *Quòd Actio, & Passio sunt unus motus*, in rebus creatis; quippe Actioni, & Passioni Divinæ non competit motus, ut nuper diximus. Beatus Albertus, ubi supra, alias duas assignat proprietates Actionis, de quibus etiam Philosophus mentionem facit, videlicet, quòd recipiat contrarium, & quòd admittat magis, & minus, sive intensionem, & remissionem. Verùm, ut bene advertit Mag. Blasco, istæ proprietates non conveniunt productionibus substantiæ, & quantitatis, sed tantùm Actioni, & consequenter Passioni, quæ sunt productiones primæ, secundæ, & tertiæ speciei qualitatis.

D.Alb.M. Blasco.

489 Obiter advertendum, Aristotelem de his duobus prædicamentis parum dixisse, fortassè quia, ex illis, quæ de aliis docuerat prædicamentis, ad istorum cognitionem facilè nos devinire posse intellexit. Quapropter Gilbertus Porretanus, ut notat Valius, Logicæ cap. de Actione, & Passione, annotatione 2. tractatum de sex Principiis composuit. Simplicius etiam, ut advertit Bacconius Quodl. 3. q. 12. conclusione 6. vers. *Circa primam*, de Actione, & Passione longum tractatum instituit.

Gilbert. Simplic. Baccon.

SE-

SECTIO VI.

De Prædicamentis Ubi, & Sitûs.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Ubi?

490 RESOLUTIO: Ubi definiri potest sic: *Accidens, per quod res determinatur ad certum locum.* Deducitur ex Doctore, Quodlib. 3 q. 10. post conclusionem 5. vers. *Ad tertium dico.* Particula, *Accidens*, habet locum generis; cæteræ locum obtinent differentiæ. Ubi vel est circunscriptivum, vel definitivum, vel indefinitum, seu Sacramentale. Primum est illud, per quod res est in toto loco, & pars rei in parte loci determinati: sic est corpus in loco, quando naturaliter locum occupat per extensivam commensurationem partium locati cum partibus loci. Secundum est illud, per quod res est tota in toto loco, & tota in qualibet parte loci, ita tamen, quòd extra talem locum non valeat esse naturaliter, nec maiorem implere, cùm ibi claudatur, contineatur, & definiatur: sic est Angelus in loco, sive in sua sphæra, & anima rationalis in corpore. Verùm Angelus, tametsi sit in loco per Ubi intrinsecum, est tanquam per formam totius, non tanquam per formam partis, quo depuncto videndus M. Zagaglia tom. 5. disp. 4. sectione 1. num. 19. Tertium tandem est illud, per quod res est tota in toto loco, & tota in singulis partibus, ita tamen, quod possit eodem essendi modo assistere in aliis pluribus locis: sic est Corpus Christi in

Baccon.

Zagaglia.

in Euchariſtia; non enim definitur loco, ſicut Angelus, aut anima rationalis.

491 Aliqui dividunt Ubi in increatum, & creatum. Cæterùm Deus nequit dici propriè ubicatus, ſed tantùm metaphoricè; neque enim prædicamentum Ubi, etiam depuratâ ejus ratione formali ab imperfectionibus, propriè poteſt Deo competere. Idem Mag. Zagaglia hoc docet ex Bacconio, & efficaciter probat tom. 2. tractatu 2. diſp 6. ſectione 5. n. 125 Quòd ſi Deus ſpecialiter dicitur eſſe in Cælo Empyreo, ideo ſic dicitur, quia ibi apparet, ut inquit noſter Incognitus ſup. verba illa Pſalmi 47. *Deus in loco ſancto ſuo.*

Zagaglia. Michael Aiguan. Bononienſis.

QUÆSTIO II.

Quid, & quotuplex ſit Situs?

492 RESOLUTIO: Situs definiri poteſt ſic: *Accidens, per quod partes rei determinantur ad certam poſitionem in loco.* Deducitur ex Doctore in 2. diſt. 3. q 2. art. 1 §. 1. verſ. *Contra primam concluſionem.* Prima particula habet locum generis ad alia prædicamenta, quæ accidentia ſunt; ultimæ locum habent differentiæ, etiam reſpectivè ad Ubi; ſolus quippe Situs determinat partes rei ad hanc, vel illam poſitionem in loco. Poſitio hîc vulgò ſonat idem, ac *poſtura*; & hæc poſitio, ſive *poſtura*, diverſa eſt multis modis, quibus res poteſt eſſe in loco, v. g. homo erectus, vel ſedens, vel jacens.

Baccon.

493 Notandum valde, poſſe variari Ubi, invariato formaliter Situ, ut liquet in eo, qui in navi movetur ad motum navis: *Quia in locali motu, motum in quolibet inſtanti eſt in alia, & alia diſtantia ad cælum ſecundùm differentiam loci, ſcilicet vel ſecun-*

secundùm ante, & retro, vel dextrum, vel sinistrum, vel sursum, vel deorsum; sed cùm ista sint differentiæ specificæ loci, quod ex intentione dicit Commentator 4. Physicorum comm 4. & l 3. comm 54 oportet, quòd continuè in quolibet instanti acquiratur novus locus secundùm speciem, sive secundùm numerum, & cum proportionaliter ubicitates in corpore locato varientur secundùm variationem locorum, oportet necessariò, quòd in quolibet instanti sit ibi ubi novum acquisitum. Hæc Doctor in 1. dist. 15. q. unic. art. 4 §. 3. vers. *Ad illud.* Verùm Situs idem est, si homo, etiam motus ad motum navis, sedens semper perseveret. Ex quibus patet, Situm realiter distingui ab Ubi, sicut & à cæteris prædicamentis. Baccon.

494 Dividitur communiter Situs in rectum, & inflexum, tanquam in species subalternas, quæ rursus subdividi possunt in alias multas species, & totidem, quot sunt figuræ. Unde D. Albertus Magnus tom. 1. l. de sex Principiis tractatu 4. cap. 2. in principio: *Positio igitur est secundùm quam alia dicuntur sedentia, & stantia, & adjacentia, quæ verè dicuntur positiones.* B. Albert.

QUÆSTIO III.

Quot sint proprietates Ubi, & Sitûs?

495 RESOLUTIO: Proprietates Ubi tres communiter assignantur à Philosophis, & totidem Sitûs. Prima proprietas Ubi: *Quod non habeat contrarium*; cùm enim duæ Ubicationes non possint esse in eodem subjecto, eò quòd id sit impossibile, nisi subjectum Divinitùs replicetur in duplici loco, non possunt mutuò se expellere ab eodem subjecto, quod est de ratione contrariorum. Secun-

da:

da: *Quod non suscipiat magis, & minus*; siquidem repugnat Ubi habere gradus distinctos in eodem subjecto, quoniam indivisibile est secundùm gradus intensionis. Utraque proprietas convenit etiam Situi: prima, quia sessio v. g. & statio, quanvis eidem vicissim inesse possint, nulli tamen simul; nam impossibile est, aliquem stare simul, & sedere in eodem instanti: secunda, quia sessio non est magis, nec minus positio, quàm statio, vel cubatio. Deinde unus sedens non magis, minusve sedens est, quàm alter, quod si habeat diversam positionem, mutat Situm.

496 Tertia proprietas Ubi: *Quòd sit terminus motûs localis*, seu, *quòd consequatur ad motum localem*; quippe, ad continuam motûs localis variationem, movens novum Ubi acquirit, ut inquit Doctor sup. citatus num. 493. Tertia tandem Sitûs proprietas: *Quòd substantiæ corporeæ assistat*; siquidem nulla est substantia corporea, maximè extensa, in qua non reperiatur ordo secundùm hanc, vel illam positionem partium ejusdem. Beatus Albertus sup. laudatus, distinguens, inter accidentia, quædam, quæ insunt, & quædam, quæ assistunt plusquam insunt, docet ex Gilberto Porretano, proprium esse positionis substantiæ proximè assistere inter ea, quæ assistunt substantiæ; quæ quidem proprietas convenit omni Situi, soli, ac semper.

B. Albert.

Porretan.

SE-

SECTIO VII.

De Prædicamentis Quando, & Habitûs.

QUÆSTIO I.

Quid, & quotuplex sit Quando?

497 RESOLUTIO: Quando sic potest definiri: *Accidens inhærens rei duranti resultans ex ejus adjacentia ad tempus.* Deducitur ex Doctore quodl. 3. q. 11. vers. *Item idem patet de Quando*: & in 2. dist. 2. q. 2. art. 1. § 3. Prima particula ponitur loco generis; cæteræ loco differentiæ. Hoc prædicamentum explicat idem Doctor, loco secundo citato, per comparationem ad Ubi, exquo dicendum, quòd sicut Ubi non est denominatio extrinseca proveniens à loco, ita Quando non est denominatio extrinseca proveniens à tempore, bene verò aliquid intrinsecum ex positione rei in tempore resultans. Hinc Baccon.

498 Colligitur, durationem Dei non spectare ad hoc prædicamentum, cùm illa non determinetur ad hoc potius, quàm ad aliud tempus, eò quòd comprehendat omne tempus reale, & imaginarium. De tempore egimus tom. 3. tractatu 2. disp. 3. De duratione speciatim disputat Mag. Zagaglia Zagaglia. tom. 2. tractatu 2. disp. 8. maximè sectione 1. & 4. ubi multa ex Bacconio adducit ad hoc prædicamentum attinentia.

Quando aliud vocatur simplex, compositum alterum. Simplex est, quod in momento esse dicitur. Compositum, quod reperitur in tempore composito,

posito, ut in anno, mense, hebdomadâ, die, horâ.

QUÆSTIO II.

Quid, & quotuplex sit Habitus?

499 RESOLUTIO: Habitus sic definiri potest: *Accidens inhærens corpori ex adjacentia vestium, sive eorum, quæ circa corpus sunt cum debita distantia.* Deducitur ex Doctore in 3.dist. 33. q. 1. ante articulum primum. Habet definitio rationem generis, & differentiæ, ut patebit discurrenti circa ejus particulas. Ex eâdem colligitur, hoc prædicamentum non consistere formaliter in ipsis vestibus debitè applicatis corpori, sicut neque in ipso corpore vestito connotante vestes in obliquo; benè verò in accidente modali distincto tam à corpore vestito, quàm à vestibus, sine quo vestes ipsæ dici nequeunt formaliter tales, sed tantùm materialiter, eò quòd solùm per tale accidens denominant corpus formaliter vestitum.

Baccon.

Habitus dividitur in vestimenta, & arma. Unde hujus prædicamenti subalterna sunt, vestitum esse, & armatum esse.

QUÆS-

QUÆSTIO III.

Quot sint proprietates Quando, & quot Habitûs?

500 RESOLUTIO: Proprietates Quando duæ communiter à Philosophis assignantur, & totidem Habitûs Prima Quando proprietas: *Quòd non suscipiat magis, & minus*; non enim una duratio est magis, minusve duratio, quàm alia, estò sit maior, sive diuturnior. Secunda: *Quòd non habeat contrarium*; quoniam in una & eâdem re est Quando secundùm horam, diem &c. absque aliqua contrarietate. Utraque proprietas convenit etiam Habitui: prima, quia etiam si aliquis dicatur magis vestitus, & armatus, non tamen secundùm eamdem omnino formam, quæ habenti habitum insit, ut benè advertit idem B. Albertus sæpe laudatus tract. 7. cap.2. Secunda, quia sine contrarietate aliqua potest quis simul esse vestitus, & armatus, ut ex se claret. B. Albert.

Hæc pro Metaphysica Quòd si ipsa pertractat etiam de Angelis, imò & Deum Optimum Maximum contemplatur, ex quo Angelosofia, & naturalis Theologia dicitur; de Deo tamen, & Angelis pro dignitate agere ad Theologos spectat. De cæteris verò propriis hujus tractatûs sparsim dissеruimus tum in Compendio Philosophico-Theologico de Distinctionibus, tum in Systemate Aristotelico de Formis materialibus. Siquid verò tam in hoc, quàm in aliis laboris mei operibus, mercede aliqua, laude ve dignum censebitur, nullam aliam expecto, nisi studiosæ Juventutis utilitatem, fidelitatem pariter, & amorem erga Antesignanum nostrum Bac-

conium, ut mirabilis ejus doctrina Literario Orbi Universo amplius innotescat. Ad maiorem Dei, & Virginis gloriam, Castissimi Josephi, Sanctissim. Joachimi & Annæ, Principum Eliæ & Elisæi, Sanctarum Theresiæ, & Mariæ Magdalenæ de Pazzi, omniumque in domo Domini habitantium.

Quidquid notabile scripsi hactenus, judicio Doctorum, & præsertim S. Romanæ Ecclesiæ censuræ, humiliter, ac libenter submissum volo.

F I N I S.



IN-



INDEX
RERUM PRINCIPALIUM,

Quæ in hoc ultimo tomo continentur. Omnes numeri paragraphos oſtendunt.

A

B

C

D

E

F

G

Ha-

H

I

Ma-

M

N

Re-

S

Sapientia

Situs

Subſiſtentia

Subſtantia

T

Theologia Sacra

Totum

Tranſcendentia

V

Ubi

Veritas

Uni-

FINIS LAUS DEO.